Hagenbach, Friederich
De Rheso tragoedia

De Rheso tragoedia

dissertatio philologica

quam

ad summos in philosophia honores

in alma litterarum universitate Basiliensi

rite impetrandos

scripsit

Fridericus Hagenbach

Basiliensis.

BASILIAE.

BALMER & RIEHM IMPRESSERUNT.

MDCCCLXIII.

De Rheso tragoedia

dissertatio philologica

quam

ad summos in philosophia honores

in alma litterarum universitate Basiliensi

rite impetrandos

scripsit

Fridericus Hagenbach

Basiliensis.

BASILIAE.

BALMER & RIEHM IMPRESSERUNT.

MDCCCLXIII.

FRANCISCO DOROTHEO GERLACHIO

GUILELMO VISCHERO

PRAECEPTORIBUS

De Rheso

quae vulgo Euripidis fertur tragoedia, quo tempore et a quo auctore scripta sit, permulti fuerunt, qui alii aliunde egressi, vario cum successu quaesiverunt. Etenim fere omnes, qui in Euripide, qui omnino in Graecorum tragicis studiorum sedem collocarunt, etiam hac de fabula agere conati sunt, nec multos hanc quaestionem penitus neglexisse videmus. —

Verum alios aestheticis, quas dicunt rationibus quantumcumque iudicii specimen adhibuisse, alios ad grammaticae praecipue vel ad metrorum normas in hanc tragoediam inquisivisse non est cur miremur Tertium genus exstitit eorum, qui argumenti inprimis testimoniis nisi magnum quid se elicituros esse sperabant. Atqui sine ira et studio hanc quaestionem actam esse, neminem spero crediturum, qui Welckerum Boeckhium Hermannum invicem se impugnasse tenebit. Nec defuisse mirabilia et inaudita, omnes facile concedent, qui neque Hartungium neque Gruppium ab hac quaestione manum abstinuisse audient. — Omnes autem virorum doctorum opiniones longe lateque explicatas iam initio, priusquam de fabulae indole docuimus, percensere longum et molestum, certe in-

utile est. Quare melius duco, in progressu demum disputationis quaerere quid veri simile, quid insulsum et nonnumquam ineptum iudicarint. —

Primum quidem breviter eos enumerabimus, qui hanc fabulam aut pertractarunt, aut certe de ea iudicium exhibuerunt. —

Jos. Scaliger prolegom. ad Manilium p. VI sq.

Sam. Petitus miscellan. III, 22. p. 185.

M. Anton. Delrio proleg. in Senecae trag. p. XXI.

Jac. Hardion, dissertation sur la tragédie de Rhésus, in mém. de littérat. de l'Acad. Royale des inscriptions et bell. lettres tom. X, p. 323, qui liber mihi ex Valkenario et Welckero enotuit.

Valkenarius in Diatribae cap. IX et X.

Dan. Beck in Diatriba critica de Rheso supposititio Euripidis dramate, in edit. Euripidis Barnesio — Musgraviana tom. III, p. 444 quem librum neque Gottingae neque Basiliae inspicere mihi licuit. —

Aug. Boeckhius tragicorum graecorum ..... etc. 1808, p. 228 sq. et in secunda de Soph. Antigona commentatione in Actis Acad. Boruss. 1828 p. 110, not. 1. —

Carol. Lachmann. de choric. systemat. trag. gr. p. 116 sq.

God. Hermann. in observationibus de Graecae linguae dialectis p. IX, in Elem. Doctr. Metr. p. 124 sq. et in dissertatione de Rheso, opusc. III (1828), p. 262 sq.

Car. Morstadt: Beitrag zur Kritik des Rhesus. Heidelb. 1827, quem librum ad manum mihi non fuisse aegre fero.

Schöll hist. de la littérat. grecq. editionis germanicae I, p. 264.

A. W. Schlegel: über dramat. Kunst u. Litteratur I, p. 263.

Aug. Matthiae in Euripidis edition. tom. VIII, p. 2—4.

Lindemann. progr. gymnas. Zittav. 1834.

Fr. v. Raumer: Vorlesungen über alte Gesch. II, ed. secund. p. 516 sq. et p. 545 (ubi Lud. Tiecki opinio citatur).

O. F. Gruppe: Ariadne 1834, cap. VII— X.

Welcker, in Gruppi censura in diurnis antiq. 1834, n. 76 sq. repetita in „tragoediis graecis" III, p. 1101—1144.

Fr. Vater in Jahnii annalibus IV suppl. 1836, p. 2—18. et: Euripidis Rhesus cum scholiis et vindiciis tragoediae. Berol. 1837.

Herm. Zirndorfer de chronologia fabular. Euripid. Marb. 1839, p. 114 sq. —

G. Dindorf. in adnott. ad Euripid. Oxon. 1840, p. 559 sq.

O. Müller gr. Litt. Gesch. II, p. 179 Anm. 2.

Hartungius in libro famoso: „Euripides restitutus" 1844, I p. 6 sq. et in praefatione editionis Engelmannianae. Lips. 1852.

A. Kirchhoff: d. argument zum Rhesus philol. VII, (1852) p. 559 sq.

Spengleriani de Rheso programmatis, Düren 1857, mihi solus titulus ex Engelmanni bibliotheca philol. notus, qui quidem libellus etiam Bernhardyum fugisse videtur, de Rheso disserentem in hist. litt. gr. II, 2 ed. sec. p. 434—438. —

Videmus permagnum profecto virorum doctorum numerum hanc quaestionem attigisse, sed iudicia vel potius opiniones eorum mirum in modum discrepare, mox luce clarius apparebit. —

Initium nobis faciendum erit de argumento, de veterum grammaticorum commentatorumque testimoniis, tum de ipsius fabulae mytho, de fontibus, quomodo iis usus sit poeta, de oeconomia, de arte in personarum tractatione disseremus.

Inde transibimus ad Rhesi metra genusque dicendi, et finem faciemus inquirendo, quid in universum de tragoedia sit iudicatum iudicandumque, quid de scriptore, quid de tempore quo fabula scripta vel acta sit. — In primo nostrae fabulae argumento post brevem dramatis expositionem haec leguntur: τοῦτο τὸ δρᾶμα ἔνιοι νόθον ὑπενόησαν Εὐριπίδου δὲ μὴ εἶναι. τὸν γὰρ Σοφόκλειον μᾶλλον ὑποφαίνει χαρακτῆρα. ἐν μέντοι ταῖς διδασκαλίαις ὡς γνήσιον ἀναγέγραπται, καὶ ἡ περὶ τὰ μετάρσια δὲ ἐν αὐτῷ πολυπραγμοσύνη τὸν Εὐριπίδην ὁμολογεῖ. quae verba alii aliter interpretati sunt. νόθον ὑπενόησαν, suspicionem moverunt de dramate, genuinum esse dubitantes, nihil aliud apparet ex his verbis. Τὸν γὰρ Σοφ. μαλλ. κτλ...... Sophocleam enim magis (quam Euripideam) formam habere, minime vero, ut interpretatur Gruppius, Sophoclem auctorem esse. —

Primum autem videamus, quis sit horum argumentorum auctor, qui fontes, quae auctoritas.

Satis notum, in fundamentis tripodum, tragoediarum victoribus tributorum fabulam Archontem diem festum choragum poetam et fortasse protagonistam notatos fuisse.

Unde originem duxerunt tabulae fabularum temporum ratione conscriptae, quas mox διδασκαλίαι secutae sunt. Harum auctores nominantur Aristoteles, Callimachus, Dicaearchus, Aristophanes Byzantius, Crates, Dionysodorus alii. — Et hoc quidem litterarum genere fere omnes Alexandrinorum et Pergamenorum insigniores grammaticos versatos esse, ex scholiis conligere licet. Quorum fragmenta cum inferiorum adnotationibus notisque permixta in argumentis et scholiis exstant, unde, quae sit horum fabulis praepositorum argumentorum vis, quivis lector ipse iudicare potest.

Et in Euripidis quidem libris saepius alterum argumentum Aristophanis Byzantii nomen fert, (Orest. Phoen. Med. Androm. Rhes. Bacch. et secundum Kirchhoffium: Alcest.) primo fere nusquam nomen praescribitur, nisi in Alcest. et Med. ubi legitur: Δικαιάρχου ὑπόθεσις, unde etiam in aliis fabulis eundem titulum olim lectum fuisse suspicatur Kirchhoff. (philol. VII, p. 563). Ex quo veri simile fit, argumenti scriptorem (vel scriptores) aut ipsas Δικ. ὑποθέσεις in Soph. et Eurip. fabulas aut tamen ex illis excerpta inter alia ante oculos habuisse. — Sed cum idem Kirchhoffius l. l. nostrum grammaticum haec omnia ex Δικ. ὑποθ. (quarum mentio apud Sextum Empiricum adv. mathemat. III, 3) hausisse coniciat, equidem repugno. Etenim cum infra, ubi de duobus loquitur prologis, iam Dicaearchum ad verbum citet (rectissime vero Nauckius ex δικαίαν correxit Δικαίαρχος) statuendum, eum iam supra de scriptore Rhesi discidium memorantem huius auctoris arbitrium fuisse nominaturum. — Utcunque res se habet, nihil aliud sumere possumus, nisi compilatorem appellasse auctores, ubi maximi ponderis

erant, non nominasse, ubi vel inferioris erant notae, vel omnino eorum nomina evanuerunt. —

τοὺς ἐνίους aliquot saecula post Alexandrinorum aevum vixisse mihi quidem veri simillimum est. Aristarchos enim, Parmeniscos aliosque litterarum principes tam leviter tamque obiter verbo ἔνιοι significari, mihi persuadere non possum. —

ἐν μέντοι ταῖς διδασκ. ὡς γνήσιον ἀναγέγραπται hoc solum indicat, Euripidis fabulam Rhesum in didacaliis notatam fuisse, minime vero apparet, hanc nostram, quam habemus memoratam esse in didascaliis. ἡ περὶ τὰ μετ. πολυπραγμοσύνη infirmum et futile est documentum, cum ea, quae astrologiae studium vel peritiam testari debeant, (vs. 527 sq.) tam nota tamque vulgaria sint, ut unicuique fere trita esse nemo sit qui neget. —

Jam vero quaeramus, quinam Alexandrinorum vel omnino commentatorum veterum in scholiis afferantur.

Ad vs. 5. Crates.
„ „ 28. Callimachus, Zenodotus, Hegesippus.
„ „ 36. Epimenides.
„ „ 504. Dionysodorus ἐν τοῖς παρὰ τοῖς τραγῳδιοποιοῖς ἡμαρτημένοις.
„ „ 505. Philippus.
„ „ 524. Crates. Parmeniscus.
„ „ 537. Aristarchus.
„ „ 892. Asclepiades.

Unum autem eorum, vel unum prorsus veterum grammaticorum nostrae fabulae singularem commentarium exarasse, nullo modo apparet, sed intellegamus oportet, aut citari libros, ex quibus scholiastae hau-

riunt aut ex commentariis ad Homerum vel ad tragicos haec vel illa delibata esse. —

Magnopere igitur errant Vaterus [1]) et Hartungius, [2]) qui hoc haud exiguum genuinae fabulae testimonium perhibent, quod Aristarchus, Parmeniscus aliique insignes viri eam singulari commentario illustraverint. — Veteres igitur grammatici in scholiis citati num de Euripide dramatis auctore dubitarint, disertum non exstat indicium. Attamen suspicari licet, nonnullos eorum vel in hoc vel in illo paullulum offendisse, neque tamen satis gravia ea habuisse, quae didascaliarum auctoritatem refutarent. —

Sunt autem fere haec: ad vs. 41. τὸ X ὅτι οὐκ ἔστιν Εὐριπίδου ὁ στίχος. quod num ab Aristarcho originem ducat necne, decernere non audeam. —

210. ἀπίθανον τετραποδίζειν αὐτὸν ὡς τοὺς λύκους.

248. κέχρηται δὲ...... Εὐριπίδης τῇ παροιμίᾳ παρὰ τοὺς χρόνους. —

498. (κλέψας ἀγάλματα κτλ.) παρὰ τοὺς χρόνους.

519. προταινί. — Παρμενίσκος τὴν π ρ ο τ α ι ν ὶ λέξιν Βοιωτικὴν φησι καὶ μετ᾽ οὐδεμιᾶς πίστεως. —

Haec nisi fallor fere omnia sunt. Unde apparet, a p e r t e δρᾶμα non esse Euripideum neminem veterum censuisse nisi illos ἐνίους. —

Aliter vero visum est Godofredo Hermanno, quem in sua de Rheso dissertatione [3]), multa cupidius quam verius egisse, Welckerus Gruppius Vaterus saepe, et suo quidem iure, monuerunt, et ipsi, ubi locus erit, exemplis demonstrabimus. —

---

[1]) vindicc. p. VII.

[2]) Eurip. restitut. I. p. 37.

[3]) Opuscula III, 263 sq.

Hermanni igitur sententia his scholiastae verbis nititur: ad vs. 524: πρῶτα δύεται σημεῖα κτλ..... Κράτης ἀγνοεῖν φησὶ τὸν Εὐριπίδην τὴν περὶ τὰ μετέωρα θεωρίαν, διὰ τὸ νέον ἔτι εἶναι ὅτε τὸν Ῥῆσον ἐδίδασκε. — et paullo infra legimus: Parmeniscum eum impugnasse, iure contendentem non peccare Euripidem in astrologiam, quippe quia modo recte iungantur, bene se habeant poetae verba. — Profecto quidem omnes, opinor, Parmenisco adsentientur. Quae verba Godofredo ansam dederunt, multa nec ea benivola de Cratete effundere. —

Audacter enim statuit, Parmeniscum [1]) Aristarcheum, vel potius Aristarchum ipsum, acutissimi iudicii virum, et vidisse et dixisse, quod tum temporis dixerint et viderint tantum non omnes, mirum quantum inter Euripidis fabulas et hance Rhesum diversitatis intercedere. Cratetem vero, qui ubique dissentire ab Aristarcho consuesset, hac quoque in re ei esse adversatum, magis fortasse ut obloqueretur quam quod non ipse quoque intellegeret probabilia eum dicere — tum cum negare manifestissimam dissimilitudinem non posset, ut aliquam tamen veri speciem praetenderet, ad ingeniosum commentum confugisse, aetati poetae illam discrepantiam imputantem. Atqui huius rei nullum in scholiis inest vestigium, nisi Cratetem vitium in verbis vel potius in signorum descriptione vidisse, ubi alii vitium non agnoverunt, et iure quidem, quippe quod prorsus non exstet.

Quod vitium, minime vero, ut vult Godofredus, manifestissimam inter Rhesum et Euripidis fabulas discrepantiam Crates excusare studuit addens: νέος ὤν

---

[1]) p. 272 sq.

ὅτε τὸν P. ἐδίδασκε. — Quod unde hauserit, num didascaliarum notitia nitatur et ad genuinam Eurip. Rhesum spectet necne, de talibus coniecturas proferre ab omni probabilitate destitutas, inutile duco. — De Aristarcho deinde, num Rhesum Euripidi abnegaverit, nos nihil compertum habere iam supra monuimus. Nihilominus Hermannus edicto ante citato nisus pergit[1]: „veteres illi critici, in quibus nisi fallor, Aristarchum numerare licebit“ . . . . .[2]) „ex quo probabiliter conicimus Aristarchum eam non genuinam iudicasse.“ nonnullaque eius modi alia.

Ne igitur putemus Cratetem solum fuisse qui hanc nostram Rhesum pro fabula Euripidea in didascaliis exhibita habuerit. —

Jam vero difficilis oritur quaestio.

Pergit enim argumenti scriptor:

Πρόλογοι δὲ διττοὶ φέρονται. ὁ γοῦν δικαίαν (recte Nauckius Δικαίαρχος) ἐκτιθεὶς τὴν ὑπόθεσιν τοῦ Ρήσου γράφει κατὰ λέξιν οὕτως. νῦν εὐσέληνον φέγγος ἡ διφρήλατος. ἐν ἐνίοις δέ τῶν ἀντιγράφων ἕτερός τις φέρεται πρόλογος, πεζὸς πάνυ καὶ οὐ πρέπων Εὐριπίδῃ. καὶ τάχα ἄν τινες τῶν ὑποκριτῶν διεσκευακότες εἶεν αὐτόν. ἔχει δὲ οὕτως:

„ὦ τοῦ μεγίστου Ζηνὸς ἄλκιμον τέκος
Παλλάς, παρῶμεν· οὐκ ἐχρῆν ἡμᾶς ἔτι
μέλλειν Ἀχαιῶν ὠφελεῖν στρατεύματα.
νῦν γὰρ κακῶς πράσσουσιν ἐν μάχῃ δορός
λόγχῃ βιαίως Ἕκτορος στροβ· ούμενοι
ἐμοὶ γὰρ οὐδὲν ἔστιν ἀλγέων ἄκος
ἐξ οὗ τ'ἔκρινε Κύπριν Ἀλέξανδρος θεάν
κάλλει προήκειν τῆς ἐμῆς εὐμορφίας,
καὶ σῆς, Ἀθάνα, φιλτάτης ἐμοὶ θεῶν
εἰ μὴ κατασκαφεῖσαν ὄψομαι πόλιν
Πριάμου βίᾳ πρόρριζον ἐκτετριμμένην.“ —

[1]) p. 267 — [2]) p. 279.

Haec vero omnia non quadrare in nostram fabulam diserte edocemur alterius argumenti, cui Aristoph. Byzantius inscribitur, verbis, ubi legitur ὁ χορὸς συνέστηκεν ἐκ φυλάκων Τρωικῶν, οἵ καὶ προλογίζουσι tam dilucido testimonio nemo, credo, erit qui repugnet. Apte enim ab anapaestis chori drama incipit nec prorsus cogitari potest quomodo unus vel alter prologorum cum hac nostra fabula sit coniungendus. — Quae cum ita sint si quid video, nihil aliud restat nisi unum versum: νῦν εὐσελήν. . . . suspicari initium esse prologi vere Euripidei, casu nobis servatum cum fabula ipsa iam perierit. Alterum vero ab histrionibus, nostram fabulam sine prologo Euripideo more facto vix tolerari posse iudicantibus confectum esse cum argumenti compilatore (vel potius cum Dicaearcho) statuemus. — Est enim pedestris, idque contra Valken. iam Hermannus G. Dindorfius Welckerus aliique monuerunt. — Quod autem ex uno trimetro conligere licet, non repugnat mori prologorum euripideorum — Atqui ex Acci nyctegersia sive nyctegresia qui exstant 10 versus (cf. O. Ribbeck trag. lat. rell. p. 170 sq. et in quaestion. scaen. p. 306 sq.) Hartungio (l. l.) ansam dederunt, multa de hac perdita fabula hariolari, quae ad nostram quaestionem ne minimum quidem fructum afferre per se constat. — Qui poeta num veram Euripidis Rhesum imitatus sit, non potest argumentorum momentis negari, praesertim cum in aliis fabulis saepe Euripidem eum secutum esse sciamus. Sed potuit etiam ex sola Dolonia fabulae materiam sumsisse. — Quam rem penitus intactam reliquisse optimum erit. — His omnibus perpensis statuamus necesse est fabulam nostram iam pridem sub Euripidis nomine Alexandriam

venisse, ibique didascaliarum testimoniis adductos grammaticos eam pro vera Euripidea fabula habuisse. Accedit quod, ut infra videbimus, non nulla insunt quae hunc tragicum redoleant. — Ne vero cogites, pecuniae cupidine aliquem, ut hanc tragoediam magno aere pro Euripidea venderet, eam conscripsisse. Qui enim talia facturus erat, eum multo accuratius Euripidis artem, stilum, sententiarum flores, metra totque alia minuta quidem, nec tamen futilia in fingendo dramate, imitando consequi oportebat. Itaque hucusque nihil statuendum nisi hoc: veterum testimonia non probant, hance Rhesum Euripidis esse. — Qui vero in scholiis memorantur, eos de auctore tragoediae disputasse certis documentis ostendi nequit. — Scilicet semper tenendum maximam fuisse Alexandrinorum auctoritatem et quamdiu intactum viguit Aristarchi iudicium eiusque quasi dictatura, et viguit, opinor, alii, quamvis dubitantes de auctore, tamen dubitationem palam proclamare vix ausi sint. — Id quod etiam probare videtur illos ἐνίους aliquanto post exstitisse. —

Nunc vero perscrutemur, quinam veterum praeter illos commentatores nostram Rhesum commemorent. Et scriptor quidem Christi patientis (quem Gregorium Naz. fuisse putant) circa 50 nostri versus modo paullulum immutatos carmini suo intexuit. Joh. Tzetza Chil. IV. 965.

Deinde Hesychius sine nomine non nulla rariora verba exhibuit. Afferuntur etiam quaedam ab Eustathio ad Dionys. perieg. 270, Etym. Magn. p. 439, 3, Mario Victorino p. 2498 et Stobaeo LIX, 9.

Praeterea versibus ex Rheso non nominato fonte usi sunt Suidas v. ἦσαν et Zonaras p. 1009.

Vides autem hos omnes multo serioris aetatis esse; ne igitur gravissimi momenti eos faciamus. — Haec autem omnia qui accuratius secum cogitabit, intellegat necesse est, externa quae dicuntur testimonia non valde pertinere ad nostram quaestionem diiudicandam, sed maior, spero, lux ex internis argumentis affulgebit, i. e. ex fabulae oeconomia, personarum descriptione, dictione etc.

Et fabula quidem de caede Rhesi primum invenitur in Iliadis libro X a Pisistrato demum Iliadi conserto. schol. ad Il. κ'. 1. Eustath. p. 785, 41.

Pindarus quoque de Rheso cecinisse traditur, eumque narraverat unum diem cum Graecis pugnando tantam stragem edidisse, ut Juno, summa metuens, mitteret Minervam, quae Diomedem et Ulixem ad nocturnam caedem excitaret. — Deinde apud Romanos, ut iam diximus, Accius in Nyctegresia hanc materiam tractavit. Posteriores vero epici et lyrici in transcursu eum memorant Vergilius Ovidius, alii, quos conlegit Vater vindicc. p. XXX. Sunt autem in variis traditionibus quae differant, ita pater Rhesi ab Homero traditur Eioneus. Il. κ'. 135. contra nostro auctori aliisque Strymo vocatur. Mater Rhesi neque ab Homero nominatur, neque apud nostrum nomen legitur, qui solum dixit, eam ex Musarum numero fuisse. — Qua de re sine fructu multa disputant scholiastae et interpretes.

Quibus rebus omissis ad ipsam fabulam exponendam accedamus, et primum quidem in universum eam enarrabimus. Campus est Troianus, tempus tertia vigilia.

Initio dramatis vigiles Hectorem somno excitant, tota nocte in castris Graecorum ignes se conspicere

indicantes. Quo audito Hector Graecos fugam moliri ratus clamat ad arma et multa gloriabundus effatur, tum Choro eum adhortante et reprehendente, Aeneas supervenit atque in Hectoris audaciam invehitur. — Deinde suadenti, ut speculator in Graecorum castra mittatur, adsentitur Chorus, et Hector statim interrogat, quis velit intra Graecorum munimenta speculatum ire. Ne vero sibi ipsi hoc importunum munus imponant, profitetur, se non ad omnia sufficere. Offert sese lucri faciendi caussa Dolo, qui multa primum de mercede cum Hectore agens, tandem promissis Achillis equis abit, pellem lupi manibus pedibusque induturus. Quod inventum admodum miratus Chorus summis effert laudibus eumque optima quaeque exoptans laeta spe victoriae demittit. — Nec se minus quid consecuturum esse profitetur quam Ulixis vel Diomedis caedem. Deinde apparet pastor ex Ida monte, gratum nuncians adventum Rhesi cum exercitu Thracico. Quem primum multa de superbo exercitu magnoque armorum splendore narrantem duris verbis adfatur Hector, superbe respondens, se nec Thracum egere auxilio nec Rheso socio, qui cum vocatus non adesset, nunc post festum appareat. Attamen ubi intellexit Rhesum sola praesentia hostibus terrorem incutere posse, subito mutat sententiam laudatque prudens consilium.

Deinde chorus pleno ore Rhesum excipit, Dei instar advenientem, atque etiam maiore iactantia quam in priore carmine summa eum consecuturum esse gloriatur. En prodit in scaenam ipse Rhesus, quem Valkenarius parum apte cum Plauti milite glorioso comparat multaque ex illa comoedia desumta ad nostrum heroem respiciens intexuit. Hectorem ille salu-

tans, magnum sese quamvis tarde advenientem in delendis hostium castris navibusque fore adiutorem pollicetur, Troianorumque ducis duram conviciosamque orationem refutat laeta spe, uno die se esse perfecturum, quod Hector per totos decem annos perficere non potuit, deinde se domum abiturum. — In carmine insequente Chorus eadem sententiarum penuria laborans nihil nisi exsultat gaudio, quod Graecorum duces Rhesi adventu mox interituri sint.

Ecce vero, qui antea domum se rediturum professus erat nunc magno animo proclamat Troia liberata spoliisque diis consecratis, se velle in Graeciam proficisci, ferro et igni omnia deleturum. Quibus locutionibus ut finem imponat Hector, talibus parum commotus interrogat quanam exercitus parte cubiculum conlocare velit. — Ad quae Rhesus solum se pugnare velle ostendit, quodsi sibi minus decorum iudicet Hector, adversus Achillem ceterosque Graecos eum conlocet. Inde socium, de Graeci exercitus condicione deque Ulixis astutia edoctum tessera dicta abducit stationem designaturus.

Tum brevi carmine a Gruppio vel maxime laudato decantato, miratur Chorus, speculatorem tam diu abesse. Tum vero Diomedes et Ulixes intrant stationes troianas non custoditas, ut Hectorem interficiant, de cuius cubili a Dolone certiores facti erant. — En apparet Dea, quae et Rhesi adventum indicet et stationem monstret. Diomedem, caedis cupidum, Ulixes prudentior retinet, iubetque redire, ne dum alium principem Troianorum interficere studeant pereant ipsi et in vigilum manus incidant. Redituros vero retinet Pallas dea mandatque ut Rhesum interficiant, quippe

si noctem transigat terribilem Graecis futurum. Imprimis autem, ut Rhesi equos avertant suadet. Eadem autem, Alexandro, auditum hostium adventum Hectori indicaturo, Venus visa, fallit hunc duosque Graecos ad naves redire iubet. Sed tardiores in militum Troianorum manus incidunt qui audito hostium adventu statim reversi erant. Ulixis vero calliditate Rhesum simulantis decepti, tessera audita hostes demittunt. Quos cum videant ad naves fugere, ne hostes fuerint veriti, deliberant quis Graecorum se effugerit, Ulixem fuisse suspicati, simul vero de Hectoris ira et supplicio solliciti. Ecce graviter vulneratus conspicitur Rhesi auriga, multa de infortunio deque domini caede lamentatus, socios caedis auctores esse perhibens. — Choro hanc suspicionem amovere conanti supervenit Hector audita calamitate, gravissimas poenas minitans militibus propter neglegentiam. — Jamiam impudentissimus auriga ipsum Hectorem facinoris auctorem turpiter incusat quippe qui sordida equorum cupidine motus hospitem obtruncaverit. — Ad quae vix toleranda convicia leniter respondet Troianorum dux, de Dolone, quem miserat exploratorem valde sollicitus, neque cum auriga in opinione perstare videtur, aliud habet quam frigida: „tu haec arbitrare si tibi ita videtur."

Tum illi saltem in patria terra mori desideranti ridicula respondet: „ne moriaris, satis mortuorum habemus." Idem tamen Hector quonam se vertat sine domino auxie consideranti benigne domum offert, ut ibi curetur. Ille vero manibus homicidis levari velle plane negat. — Nihilo minus tamen Hector eum abduci Troianorumque senatum mortuos componere iubet.

Jam autem eo pervenimus, ut Musa deae loco ex machina evolvatur. Apparet enim Rhesi mater, in ulnis gestans cruentum filii cadaver, et, dum carissimi mortem praematuram valde queritur, caedis auctorem designat Ulixem, quem simul cum Diomede exsecratur; tum ereptam sibi a Strymone fluvio virginitatem spectatoribus enarrat puerique sortem, quem Troiam venisse valde luget, palam pronunciat. — Ne tamen credas eam sibi constare. — Postquam enim duos heroes prorsus abominata est, iam, priorum plane oblita, nihil Ulixem, nihil Diomedem peccasse perhibens omnem culpam uni Minervae tribuit. Quam deam criminatur velut immemorem beneficiorum, quibus urbem Palladi dilectam sorores Musae semper honorassent, seque benivolentiae in Athenas praemium filii cruentum corpus gestare profitetur. — Jam vero Hector, supra multa et acerba cum auriga altercatus, se vel sine Dea caedis auctorem bene cognitum habuisse asseverat, et ne quis suspicionem teneat, se non gaudere Rhesi morte libere fatetur. — Denique Musa omnia, quae Troianis obscura vel ignota esse poterant, haud indocte explicat, divinos filii in Thracia honores praedicit, indicata simul Achillis morte Thetidisque luctu. Claudit vero orationem loco communi, vitam sterilem fecundo matrimonio praeponendam esse. — Postremo sole oriente postquam exercitus armari iussus est et Hector spe victoriae effertur et milites confidunt, fore ut dii victoriam sibi concedant.

Nunc primum quaerendum, quomodo Doloniam tractaverit poeta. — Et summam quidem fabulae quamquam non mutavit, Dolonem dico ad castra graeca missum interfectumque, Diomedis Ulixisque adventum,

Rhesi caedem, tamen in multis haec tragoedia Homeri deseruit vestigia. —

Nam, id quod maximum est, scaenam fecit Troianorum castra, et fere omnia prope Rhesi tentorium aguntur. Cum enim Homerus Troianos ignes foventes Graecosque ex ea re impetum suspicantes fecisset, noster rem plane invertit, si quidem Troianos somniantes in tentoriis finxit, ignes in Graecorum castra contulit. — Deinde quae ab adventu pastoris usque ad Chori discessum legimus, non tractavit Homerus, apud quem ex sola Dolonis proditione Rhesum nuper advenisse comperimus. Tum apud epicum poetam Graecos de adventu Rhesi Dolo fecit certiores. Noster abitum Dolonis ante Rhesi adventum posuit. Porro apud Homerum Menelaus convenit Agamemnonem, qui inde ambo alios somno excitatos consulunt atque observatores mittere decernunt. In Rheso contra Hectorem excitant vigiles. Apud Hom. excisis Thracibus Apollo Troianos somno excitat, tragicus Minervam finxit Veneris figura assumta Alexandrum mendaciis fallentem. Denique cum in Dolonia 496 Rhesus gravi somnio anhelans trucidetur, noster aurigam somniantem fecit. 780 sq. — Priusquam autem ad singularum dramatis personarum descriptiones, quomodo ab epico recedant, transeamus, nobis, sicut in universum quid mutaverit notavimus, ita etiam, quae imitatus sit apponamus. Ne tamen nimis verbosi simus, modo locos afferamus. Sunt autem hi:

Oratio Hectoris Rh. 57 sq. cf. Ilias ϑ. 498 sq. Quae dicit Aeneas 105 sq. cf. Alexandri verba Ilias ν, 726 sq. — quae tragici Hector habet 149 ex Il. κ. 305 sumta sunt.

Etiam apud Homerum Dolo pretium speculandi sibi poscit equos Achillis, sed brevissimis verbis vs. 315. Apud Hom. cum pelle lupina amictus κ. 334 abeat Dolo, tragico totus in lupum se convertit quadrupedis modo, quod egregie inventum summis chorus effert laudibus.

Nuncii de Rheso eiusque equis et armis ex homericis sumta: cf. 304. Hom. κ. 437. Horae definitio 527 sq. Hom. κ. 251.

Eadem apud epicum et apud tragicum Rhesi statio vs. 434. trag. 519.

Equi post currum adligati stant Hom. κ. 474. in tragoedia 567 et 616.

Hectoris stationem a Dolone indicatam dicit Diomedes, Hom. κ. 477. Rhesi stationem Ulixes. 575.

Minervam in tragoedia precatur Ulixes 608, Diomedes apud Hom. 462.

Apud tragicum Dea enarrat, quae apud Homerum Dolo exposuit 433 sq. — nonnulla etiam alia inferiora attulit G. Herm. de Rheso p. 286. 287. —

Quodsi satis notum, tragicos materiam fabularum ex epicis desumsisse idque aut libere profiteri aut interpretes industrie adnotare, tamen simili modo qui sententias, qui verba ex Homero hauserit, equidem adhuc neminem novi. — Sed cum praeter Cyclopem drama satyricum, non sit servata fabula, quae tota ex Homero fluxerit, Vaterus aliique hoc drama defendere conati, et Aeschylum et Sophoclem similiter ex Homero desumsisse opinantur. — Concedo, plagiarium eum dici non posse, quippe quia de talibus aliter iu-

dicarint veteres, aliter nostrates, sed, quaeso, quis umquam tragicorum insignium ita drama componere adortus est, ut undique sine consilio et ratione delibaret, personasque numquam sui iuris arbitriique esse pateretur? —

Et poeta quidem num recte, num male haec mutarit, illa strenue imitatus sit, sine fructu disputarunt critici. — In universum autem tenendum, Hermanno fere omnia mala et inepta videri, Hartungium vero, Gruppium et non numquam Vaterum paene omnia laudare praedicare et ut probent quae aliis optimo iure displiceant, multa inania verba effundere. —

Id quod documentum esse caussae infirmae mox videbimus. — Jam primo obtutu apparet, Doloniae materiam tragoediae non convenire. — Quod enim summum et praecipuum est, ut metum moveat poeta et misericordiam, ut incendat inflammetque animos denique eos liberet metu, frustra quaeremus in hac fabula. Non est qui partes agat primarias, sed magnus numerus scaenarum modo leviter, nullo arcto vinculo coniunctarum. — Et oeconomiam dramatis, quamquam personis ex machina duabus exhitis, valde languere et singulas fabulae personas mirum in modum laborare, praeter Gruppium et Hartungium qui negaverit equidem neminem novi, nisi eundem Vaterum. Quis umquam, tam exili fabulae argumento, spectantium studium attrahere, quis, quaeso, plausum movere potuit?

Hector stare non potest et modo in hanc modo in illam partem distractus totus aut Chori aut Aeneae aut aurigae consiliis sermonibusve gubernari patitur, tum barbarorum more summis et crudelissimis poenarum comminationibus atque inaudita iactantia sar-

cire studet, quae temeritate, consilii inopia vel omnino stultitia nocuit. — Aeneas nonnulla suadet facere, quae Hector, paullum et frustra reluctatus, argumentorum momentis convictus vel potius proprio iudicio plane destitutus non potest non probare. —

Rhesus iactator egregius, neque tamen ita gloriatur, ut poetam consilio eum ludibrio esse voluisse propter iactantiam dicamus; quae enim dicit, serio dicit, semper abundans excusandi verbis, gloriabundus profatur quae aut gesserit aut tamen sit gesturus. Dolo insigne sordidi speculatoris exemplar, qui diutissime de mercede cum Hectore disputat.

Ulixes et Diomedes a Graecorum heroum nobilitate, virtute et liberalitate longe recedunt, id quod praecipue in Welckerum[1]) monendum erit qui hos Graecorum heroes barbarorum malitiae, ignaviae et iactantiae opponi arbitratus est. Quodsi poetae talia in animo erant exspectaremus, ut multo altius adsurgeret eorum sollertia, calliditas vel omnino virtus. Quae perficiunt, non ipsorum, sed deorum consilio factum est.

Quid deinde dicamus de aurigae inani loquacitate qui, quamvis ad mortem vulneratus, in Hectorem diutissime increpat eumque Rhesum interfecisse perhibet, loquendi vero finem paene nullis machinis invenire potest; — qui Diomedi Ulixique noctu castra circumgredientibus adclamat caveant sibi. — Futilia tandem et inania Chorum fundere iam pridem perspicuum est. Deest enim omnis elatio orationis, semper eadem est cantilena, quae gravia aut Dolo aut Rhesus sint effecturi; brevia sunt carmina, languent, carent omni vigore,

---

[1]) gr. tragoed. III, 1131 sq.

in quibus ut mox apparebit non nisi metra vituperium effugiunt. — Multa exquisita habet nuncius de armatura, de equis, eorum ornamentis, tintinnabulis etc. — Deam ex machina cum iam viderimus Palladem, profecto miramur versus finem etiam Rhesi matrem eccyclemate apparere, multa docte de filio deque eius honoribus profari: quae, amissam virginitatem aliaque questa, Raumero [1]) risum potius quam miserationem movet. Et iure quidem. — Verum duro fere animo haec omnia videt auditque Chorus; non luget Rhesum mortuum, et de praeteritis nihil, ut videtur, sollicitus, Hectore duce se victurum esse sperat. — Denique cur discedat ante Musae adventum auriga, cum tamen ab ea audire possit, non Hectorem caussam esse infortunii carissimi domini, hoc velim Hartungium vel Gruppium mihi explicare. — Ex quo patet cum iam totum dramatis frigidum sit, tamen ante omnia finem languere. —

De ostentatione doctrinae quae memorat Hermannus, (l. l. p. 289) haud ita magni sunt ponderis, nonnullaque iure Welckerus refutavit. (l. l. 1118.) Sed concedendum, nimio plus doctum eum vel esse vel haberi velle, et quidem parum apto loco, in primis in epilogo, de quo alii alia coniecerunt. Nulla accurata est personarum descriptio, ubinam heroes, qui quae Euripidis tempore animos occupabant philosophiae rationes, de rei publicae statu, de servis, de feminis multaque alia eleganti et liquido disputandi more tractabant immensoque audientes implebant gaudio, orationis mollibus flosculis abundantes?

Insunt sane sententiae sed eae maximam partem perbreves, et more potius Sophocleo expressae. — Ali-

---

[1]) Vorlesungen üb. alte Gesch. II. ed. secund. 516 sq.

ter vero hac de re statuit Vaterus [1]), fere omnia quae Valkenarius Hermannus Euripideo generi repugnare iudicarant, ipsa Euripidei ingenii specimina diligenter adnotans. (cf. quaeso vs. 69. 84. 106. 162. 206. 510. 626.) atqui Euripidem sapere videtur initium carminis lugubris 906 sq. et Musae verba 980—82, nec non aurigae 758 sq.

Jam vero ad metricas nostrae fabulae rationes accedentes non possumus non laudare accuratam diligentiam. — Et jure quidem observat God. Herm. [2]) metra ita elaborata esse, qualia ante Ol. 89 fieri notum est. Solutionum in trimetro numerus in universum satis certam ansam praebet ubi agitur de tempore fabulae. Etenim paullatim accrevit socordia, solutiones augescunt (e. c. Alcestis, a. 438 acta, 55 solutiones habet, Medea a. 431: 72. contra Helena a. 412: 390. Orest. a. 408: 569. De quibus confer in universum quae subtiliter, neque tamen ut omnibus persuaderet, disputavit Zirndorfer in chronol. fab. Euripid.) In nostra fabula 60 solutiones inveniuntur, trimeter nusquam inter duas personas distributus est, et si modo metricas rationes spectes, haud male Vaterus fabulam Ol. 85, 4 actam esse voluit, idque etiam Zirndorfero [3]), nisi tot alia stili dictionis oeconomiae repugnarent, maxime perspicuum videretur. — Et ipse Lachmannus nihil nisi metra Euripideis multo subtiliora et elaboratiora respexisse videtur, cum de Aeschyli discipulo eodem fere tempore cum Eurip. Medea

---

[1]) vindiciae p. CLV sq.

[2]) El. Doct. M. p. 124 sq. de graec. l. dialect. p. X et alibi.

[3]) libri l. p. 119.

acta esset, cogitaret [1]). Sed iusto iure Godofr. monuit, a difficilioribus Aeschyli metris nostra valde differre, id quod etiam Aug. Matthiae [2]) respicere debebat, lyricorum metrorum in Rheso facilitatem cum Aeschyleis comparari posse perhibens. Etenim qui simplicem Aeschylum, sive dictione sive metris dicat, equidem novi neminem. —

In chori metris praecipue notandum, in dactyloepitritis, cum alibi modo in fine strophae ithyphallicus recurrat (cf. Prometh. 535. Med. 420. 634. Rhes. 232) apud nostrum eum etiam in tertio strophae loco legi. Rhes. 224, quod iure Rossbach et Westph. metrik III, 443 iudicant argumentum esse fabulae post Euripidem conscriptae. —

Atqui progrediamur ad gravissimum, de quo maxima fuit virorum doctorum dissensio. Etenim alii aliunde egressi aliter de Rhesi dictione, de stilo, omnino de verborum copia, de imitatione tragicorum iudicarunt. — Accedit quod generis dicendi argumenta valde maiorem habent probabilitatem quam quae de arte, de oeconomia de tota dramatis compositione dicuntur. — Quod bene perspiciens Hartungius [3]) in planas saepeque vagas artis aestheticae regiones se contulit, ubi permulta certum iudicium fugiunt, inanibus autem, dulcisonis ac lepidis verbis disseri disceptarique possunt. —

Et haec quidem in hac re tam magna dissensio documento esse potest, nostrum undique verba structuras desumsisse, nec minus, nos de Alexandrinorum dicendi

---

[1]) choric. systemat. tragic. p. 116 sq.

[2]) Eurip. adnotat. VIII p. 3 sq.

[3]) Eurip. restitut. I, p. 6—41 et in praefatione editionis Engelm. Lips. 1852.

et componendi arte ac ratione haud ita accurate instructos esse, cum Lachmannum Matthiaeum Hermannum alios ita disgredi videamus in temporum rationibus distincte definiendis. — Hermannus quidem, quem non nulla cupidius quam verius notasse iam monuimus, id praecipue secutus est, ut quam pessimum evaderet de nostri stilo iudicium[1]. — Et tres quidem fecit catalogos, primum verborum, quae omnino ἅπαξ sunt λεγόμενα, alterum eorum, quae modo in tragicis nobis servatis non leguntur, tertium vero eorum quae imitatus est scriptor, i. e. similes structurae, rariora verba in fabulis aut Euripidis aut Sophoclis aut Aeschyli aut tamen in aliis scriptoribus recurrentia. —

Et in universum quidem diligentiam nostri in dictione non possumus non laudare. Quodsi inventio, compositio, personarum ratio et descriptio ad eamdem normam conformatae essent, haud ita multa haberemus, quae reprehensionis ansam praeberent. —

Sed iure miramur, eum saepius tritissimas res gravissimis et magnificis verbis exprimere admodum amare: (e. c. quae iam Bernhardyus notavit[2]): v. 287: φόβον δ'ἀγρώσταις, οἵ κατ' Ἰδαῖον λέπας οἰκοῦμεν αὐτόρριζον ἑστίαν χθονός, 276: ἀνὴρ γὰρ ἀρχῆς μυρίας στρατηλατῶν. alia in catalogis exhibebimus).

Et quae ab Homero sumserit iam supra monuimus. Tum Aeschyli imitationis in tragicis Euripidi aequalibus aut paullo post viventibus fere nulla exstant vestigia, quia tum graves orationis soni tenuibus levibusque versuum et verborum modis cotidianae orationi simillimis cedere debuerint. — Comptam vero et elegantem So-

[1] l. l. p. 290 sq.

[2] h. litt. gr. II, 2. p. 437.

phoclis dictionem imitari valde arduum erat. — Itaque maximus numerus Euripidis exemplum secutus est, cuius populare et trivium sententiarum genus, vulgaris dicendi ratio, leves et volubiles rhythmi, materiae varietas tum temporis maximum adsensum ingentemque theatri plausum tulerunt multosque poetarum admodum pellexerunt. A quibus noster valde recedit.

Attamen eum haud raro Aeschyli vestigia secutum esse infra probabimus, quod documento erit, eum non tam spectatorum, quam lectorum eruditorum adsensum sibi parare studere, plusque lectione quam vivo ingenio fabulisque Euripidis in theatro spectatis inniti. Id quod Hartungio [1]) testimonium esse videbatur, Euripidem iuvenem 18 annorum, magnorum tragicorum exemplo incensum, nostram tragoediam conscripsisse! — Sane, concedimus cum Godofredo [2]), mutare aliquid aetatem, neque tamen omnia, sed esse etiam quod sibi constat, manereque aliqua saltem eiusdem ingenii vestigia. — Verum nullus inest iuvenilis ardor, nulla elatio orationis, nisi forte languentia infirmaque iuvenili aetati adscribere velis. Haud exigua quidem diligentia omnia exarata, quae non est adolescentuli primum ad tragicam poesim sese adcingentis. — Certe in iuvenili poeta quid verisimilius quam eum aliquid proprii ardoris in iuvenilem fabulae heroem contulisse, quem prae ceteris dramatis figuris temeritate, vigore et orationis et actionis insignem esse voluerit? Accedit quod, qui sunt primi Eurip. versus 22 ex Peliadarum fabula ad ceterarum plane Euripidis tragoediarum normam compositi sunt.

---

[1]) l. l. p. 9.
[2]) p. 274.

Ne vero lectorum iudicium in nostras partes attrahere nimis studere videamur, ipsum enuntiatorum catalogum sub adspectum ponamus. Sed antea monendum, nonnulla eiusmodi esse, ut recordatione lectorum vel auditorum locorum ductus inscius poeta ea posuerit, multa autem, quae apertum prodant imitatorem. — Maxime autem patebit, pariter ex omnibus Euripidis tragoediis eum hausisse. Id quod Gruppio [1] ne minimam quidem affert molestiam, qui, hanc fabulam Sophoclis primam et praemio quidem ornatam esse ratus, hoc ipsum imitandi ac undique conligendi studium Euripidem ineptum et paene servilem testari dicit aliorum aemulum. Et quae cum 7 contra Thebas quamdam praebent similitudinem, Gruppio [2] prae ceteris notatu digna sunt: nempe quae probent, tum temporis Sophoclem imprimis Aeschyli studio et auctoritati deditum fuisse. — Talia vero valde claudicare omnique documento prorsus destituta esse maxime, spero, apparebit, si indicem subiciamus eorum Rhesi enuntiatorum, quae apud Sophoclem prorsus non exstant:

vs. 2.	ὑπασπιστής.	vs. 64.	ῥύμη.
8.	χαμεύνη.	68.	ϑυοσκόος.
22.	πανόπλος.	69.	δραπέτης.
29.	ἀγός.	75.	γαπονεῖν.
31.	γυμνής. μόναρχος.	89.	νυκτηγορέω.
33.	κερόδετος.	90.	πυκάζου.
40.	τρανῶς.	116.	σκόλοψ.
42.	ὄρφνη.	122.	πυργόω.
48.	ναυσίπορος.	134.	κατόπτας.
57.	ϑοίνη.	144.	καραδοκέω.
62.	πολύφονος.	154.	κίνδυνον ῥίπτω.

[1] Ariadne 327 sq. [2] p. 332 sq.

vs. 168. γαμεῖν ἐκ.
177. ἀποινᾶσθαι.
180. πασσαλεύω.
183. ψυχὴν προβάλλω.
185. εὐσπλαγχνία.
209. χάσμα.
210. πρόσθιος.
212. δυσεύρετος.
215. διβάμος.
226. τοξήρης.
234. διόπτας.
244. ἄγαμαι.
245. σπανία.
254. πεδοστιβής.
256. μῖμος.
260. κακογάμβρος.
267. τευχεσφόρος
273. προσαύλειος.
288. αὐτόρριζος.
290. ῥέων στρατός.
296. προυξερευνητής.
304. ἐξαυγής.
305. χροσοκόλλητος.
308. κτυπέω φόβον.
317. εὐσταθέω.
318. κατάντης.
322. ἐξώστης.
325. κυνηγέτης.
327. ἐπίμομφος.
335. βοηδρομέω.
339. ἐπίφθονος.
348. ἀσπαστός.

vs. 349. καλλιγέφυρος.
353. ὑδροειδής.
355. φαναῖος.
356. διφρέω.
361. παναμερεύω.
373. δίβολος.
391. συγκατασκάπτω.
395. διπλοῦς ἀνήρ.
401. γερουσία.
405. προπίνω.
411. λακτίζω.
414. χωστός.
417. ἄησις.
δίψιον πῦρ.
419. ἄμυστιν.
423. τέμνω κέλευθος.
434. ὁμηρεύω.
440. φύσημα.
441. κρυσταλλόπηκτος.
ἐπεζάρει.
442. πορπάμα.
446. κυβεύω.
452. αὐχέω.
465. πολύφονος.
467. ἀπουσία.
480. ἄδην.
487. πέλτην ἐρεῖσαι.
492. θοῦρον δόρυ. ἐντάξαι.
495. συναίρειν δόρυ.
499. ἀρκούντως.
503. πτωχικός.
509. μέρμερος.

vs. 512. κλωπικός.
514. ἀμπείρω.
515. θοινατήριον.
520. νυχεύω.
523. προταινί.
525. δέχθαι.
526. στρατοπεδα plur.
529. ἑπταπόροι Πλειάδες.
534. μηνάς.
549. παιδολέτωρ.
553. νυκτίβρομος.
554. ἰή. κατακούω.
566. ψόφος στάζει δἰ ὤτων.
586. καρατομεῖν.
588. ἀκινδύνως.
596. λύπῃ καρδίαν δεδηγμένοι.
604. εἰςδρομή.
617. διαπρεπής.
625. τρίβων.
629. μεμβλωκότων.
639. σαθρός.
646. πρευμενής.
668. αὕτῶ.
695. ἀδείμαντος.
696. προσεικάζω.
701. σποράς.
719. βάζω.
724. δυσοίζω.
731. βόλος.
737. ἀμβλῶπες.
741. διόπων.

vs. 744. τολυπεύσας.
754. αἰνιγμός.
760. εὐδοξία.
791. δυσθνητοῦν.
814. ἄπληκτος.
817. μαράγνα.
817. καρανιστής.
826. βρίζω.
849. μειζόνως.
855. πάμπαν.
858. πλημμελής.
871. μονούμενος.
872. ἐξιάσεται.
873. αὐθέντης.
877. λάζυσθε.
880. λεώφορος.
881. ἐκτροπή.
887. νεόκμητος.
895. ἰάλεμος.
ibid. αὐθιγενής.
913. μυριάς.
919. διαρροή.
921. χρυσοβώλον.
923. ἔρις μελωδίας.
927. εὔυδρος.
ibid. παρθενεία.
936. πρεσβεύματα.
ibid. γερουσία.
943. φαναί.
944. αὐτανέψιος.
960. συμπυρόω.
962. μελάγχιμος.

vs. 970. ὑπάργυρος. vs. 980. παιδοποιός.
978. ῥύσεται. 990. αἶθος.

Quae sola, etiam deficiente oeconomiae omnisque artis diversitate sufficerent, opinor, ad refutandum Gruppi commentum.

Jam vero ἅπαξ λεγόμενα enotabimus, et hac quidem ratione, ut quae nude ponamus, prorsus sint ἁπ. λγ. quae vero tragicis sint ἁπ. λγ. iis ἁπ. τργ. (vel solum τργ.) adnotemus et adiciamus, apud quosnam alios scriptores legantur. —

Permulta eius generis iam attulit Hermann.[1] verum saepius monebimus, eum ἁπ. τργ. appellasse, quae *prorsus* non inveniantur. — Etiamsi concedamus, non nulla horum nobis ἁπ. λγ. enotatorum in fabulis nobis perditis legi potuisse, tamen tantus numerus, et undique collectorum verborum, ut profecto miremur. —

vs. 3. τευχοφόρος.
33. κερόδετος.
64. ῥύμη. ἁπ. τργ. Aristoph. Thucyd. Xenoph. Plato. Plutarch. alii.
111. νυκτὸς ἐν καταστάσει.
134. ταχυβάτας nusquam invenitur. Hermann. vero in ἁπ. τργ. inseruit.
177. ἀποινᾶσθαι ἁπ. τργ. sed activum in lege Dracontis apud Demosth. p. 629, 22. 630, 27. cf. vs. 466.
192. εὐσπλαγχνία. de quo idem contra Godofr. dicendum quod ad vs. 134.
205. κλωπικός. ἁπ. τργ. Plato in Cratylo 408 A.

---

[1]) p. 291 sq.

vs. 215. δίβαμος.
245. σπανία ἀπ. τργ. Diod. Photius.
256. μῖμος pro μίμημα.
260. κακογάμβρος.
273. προσαύλειος.
274. δόρη.
276. ἀνὴρ ἀρχῆς μυρίας στρατηλατῶν.
288. αὐτόρριζος ἀπ. τργ. Diod. 4, 12. Aelian. nat. an. 17, 29.
296. προὐξερευνητής.
304. ἐξαυγέστερος.
308. ἐκτύπει φόβον.
317. εὐσταθῶσι.
318. ἕρπει κατάντης συμφορὰ πρὸς τἀγαθά.
322. ἐξώστης. ἀπ. τργ. Herod. Aeschines, Synes.
327. ἐπίμομφος sensu activo: qui reprehendit.
340. χρυσοτευχής.
349. καλλιγέφυρος.
353. ὑδροειδής
360. παναμερεύω, prorsus ἀπ. λγ. verum aliter Hermanno visum.
374. δίβολος. ἀπ. τργ. (etenim Oed. Colon. 1464 cum Bergkio et Nauckio διόβολος legdum) Anthol. 6, 282 — Hesych.
382. πολιάρχος. trg. ἀπ. Pind. Nem. 7, 123. Dio. C. 40, 46 aliique.
396. διπλοῦς ἀνήρ. ἀπ. trg. sed Plato aliique.
417. ἄησις prorsus ἀπ. λγ.
δίψον πῦρ.
487. πέλτην ἐρεῖσαι. —
492. ἐντάξαι pro ἀντιτάξαι.

vs. 496. εὐδοξεῖ. ἅπ. τργ. Xenoph. Plato. Demosth. Aeschin.

503. πτωχικός. ἅπ. τργ. Aristoph. Lycurg. Plut. Lucian. inferioresq.

509. μέρμερον. τργ. ἅπ. Homer. Hesiod.

512. vid. 205.

514. ἀμπείρας trg. ἅπ. Hom. Pindar. Arist. in Acharn. bis.

515. θοινατήρια. prorsus ἅπ. λγ. Hermanno vero ἅπ. τργ.

520. νυχεῦσαι τργ. ἅπ. Athenaeus 15 p. 683 B.

525. δέχθαι forma homerica, tragicis ignota.

520. 811. στρατόπεδα forma plurali ἅπ. τργ.

534. μηνὰς.

538. τίς ἐκηρύχθη c. acc. obiecti: πρώταν φυλακάν. (nisi forte cum Dobraeo legendum ἐκληρώθη.)

553. νυκτίβρομος.

554. κατακούω ἅπ. trg. Thuc. Plat. saepius, Demosth. Luc. Strabo alii.

566. ψόφος στάζει δι ὤτων inaudite dictum.

569. κλάζει σιδήρου.

586. καρατομέω. ἅπ. trg. Lycophron Alexandr. 313. Joseph. Apollodorus.

588. ἀκινδύνως ἅπ. trg. Lysias in or. funebr.

604. εἰσδρομή. ἅπ. trg. Thuc. II, 25.

609. καράτομος sensu activo ἅπ. trg. sed Lycoph. 187. contra sensu passivo: Eur. Tro. 564. Alc. 1121. et Soph. El. 52.

629. μεμβλωκότων forma homerica.

654. κειμήλιον de persona dictum.

702. σποράς trg. ἅπ. Thucyd. Aristot. Plut. alii.

vs. 712. ῥακόδυτος. sed ῥακοδύτης apud Chrysostom.
716. ψαφαρόχρους.
744. τολοπεύσας. homerica vox sed Agam. 1036: ἐκτολυπεύειν.
761. ἀβούλως. ἀπ. trg. Herod. 3, 71. verum adiect. ἄβουλος So. trach. 131.
788. ἐξώρμα φόβος.
814. ἄπληκτος. Plutarch. moral. et Theophrast.
828. ἄνα in sola deorum compellatione ponitur. (vid. Ellendt lex. soph. sub verbo) noster vero Chorum ita Hectorem adloquentem facit. (Ceterum Godfr. H. legi vult. ὦναξ.)
875. εἰς σέ τείνεται (quem locum Vaterus et Hartungius proscripserunt secundum Christi patientis versum.) verum εἰς σέ τείνει Phoen. 435.
881. λεωφόρος. trg. ἀπ. Plato Hdt.
887. νεόκμητος. trg. ἀπ. alia vero lectio νεόδμητος recurrit Med. 624.
921. χρυσόβωλον. quod Herm. ἀπ. trg. dicit. equidem alibi non inveni hoc verbum. —
934. κορύσσειν trg. ἀπ. Hom. Hesiod. Pind. aliiq. sed κεκορυθμένος Androm. 279. Iph. Aul. 1073.
942. ἐπιχράομαι. ἀπ. trg. Thuc. Hdt. Plato.
964. καρποποιός.
971. ἀνθρωποδαίμων. alio sensu hoc vocabulo utitur Procop. anecd. p. 56, 25 ed. Alemann

---

Jam licet videre, praeter tragicos imprimis Homerum Hesiodum Pindarum Thucydidem Herodotum Platonem Aristot. atque oratores eadem rariora verba adhibuisse.

Verum ut accuratius perspiciatur, quaenam in tragicis sit imitatus, indicem composui fabularum Aesch. Soph. Euripidis cum fragmentis, ibique omnia notavi, quae in Rheso redeunt, eadem rariora verba structuras sententiasque. — Sed tenendum, maximam notatorum locorum partem in trimetris inveniri, in chori vero carminibus, in primis Euripidis totas fere paginas esse sine ullo exemplo (praecipue Orest. Bacch. Jon. Andromed. Iph. t. Elect.). et Phoenissarum quidem materiam belli rumoribus, armorum et pugnae descriptionibus redundantem quam maxime nostro adrisisse praecipue erit monendum. Maxima prorsus similitudo intercedit cum eis fabulis, quae simile tractant argumentum. Plura igitur ex Aiace Aeschylique septem quam ex Eumenidibus et Philocteta eum delibasse lector statim ipse intelleget.

Aeschylus ed. G. Dindorf. (Lips. 1857. Teubner).

Prometheus.

573. παράλιος. Rhes. 700.
628. θράξαι φρένας. Rh. 863.
816. δυσεύρετος. R. 212.
936. Ἀδράστεια. R. 342. 468.

7 contra Thebas.

29. νυκτηγορεῖσθαι. R. 89.
41. κατόπτης. R. 134. 155. 369. 558.
45. φιλαίματος. R. 932.
80. ῥεῖ λέως. R. 290: ῥέων στρατός.
149. (fortasse) εὔπυκάζου. R. 90 (ubi Godofr. et G. Dind. εὐτυκάζου.)
154. χνόαι. R. 118.
369. κατόπτης vid. 41.

386. χαλκήλατοι κλάζουσι κώδωνες φόβον: cf. Rhes. 308: πολλοῖσι σὺν κώδωσιν ἐκτύπει φόβ.
414. ἔργον δ'ἐν κύβοις Ἄρης κρινεῖ. cf. Rh. 183: ψυχὴν προβάλλοντ' ἐν κύβοισι δαίμονος. R. 446. ῥίπτεις κυβεύων τὸν πρὸς Ἀργ. Ἄρην.
431. προσήκασεν. R. 697.
448. ἀνὴρ αἴθων. R. 122.
593. βαθεῖαν ἄλοκα. R. 796.
726. παιδολέτωρ. R. 549.
780. δυσφορῶν. R. 425.

Persae.

44. δίοποι. R. 741.
87. οὔτις ὑποστάς. R. 375.
301. μελάγχιμος. R. 962.
715. σκηπτός. R. 673.
936. ἰάν. R. 553.

Hiketides.

372. ἑστίαν χθονός. R. 288.
723. λαῖφος. Rh. 324.

Agamemno.

33. φρυκτωρία. R. 55. 128.
275. βρίζω. R. 826.
384. λακτίσας. R. 411.
509. ὕπατος . . . Ζεύς. R. 456. 704.
570. ἐν ψήφῳ λέγειν. R. 309: ἐν ψήφου λόγῳ θέσθαι.
687. πρεπόντως. R. 202.
1131. προσεικάζω. R. 697.
1292 et 1323. ἐπεύχομαι. R. 703.
1316. δυσοίζω. R. 724.
1540. χαμεύνη. R. 9. 852.

Choephor.

11. μελάγχιμος. R. 962.
351. πολύχωστος τάφος. R. 414.
375. μαράγνη. R. 817.
627. τευχεσφόρος. R. 267.
1001. φηλήτης. R. 217.

Eumenides.

24. οὐδ' ἀμνημονῶ. R. 647.
185. χρίμπτεσθαι. R. 644.
186. καρανιστῆρες δίκαι. cf. R. 867: καρανιστὴς μόρος,
249. τίθησιν πόδα. R. 280.

Fragmenta (tragic. frg. ed. A. Nauck).

frg. 87. (Ixion). πρευμενής. R. 646.
127. (Myrmidon.) ap. Harpocrat. p. 159, 8: προπεπωκότες. cf. Rh. 405: προύπιες.

Paullo uberior erit catalogus Sophoclearum fabularum.

Sophocles (ed. Bergk. Lips. 1858).

Aiax.

131. ὡς ἡμέρα κλίνει τε κἀνάγει πάλιν ἅπαντα τἀνθρώπεια. cf. Rh. 882 sq.
243. δεννάζω. R. 925. 951.
255. ἄπλατος. R. 310.
286. λαμπτῆρες. R. 60.
343. λεηλατήσει. R. 291.
389. αἱμυλώτατος. R. 498.
549. πωλοδαμνεῖν. R. 1624. 87.

576. πόρπαξ. R. 385.
590. οὐ κάτοισθ᾽ ἐγώ θεοῖς ὡς οὐδέν ἀρκεῖν εἴμ᾽ ὀφειλέτης ἔτι constructionem imitatus est auct. Rhes. 965. ὀφειλέτις δέ μοι τοὺς ὀρφ. τιμῶσα φαίνεσθαι φίλους. (cf. Lobeck ad. h. l.)
624. παλαιᾷ ἡμέρᾳ. R. 389.
845. διφρηλατῶν. R. 781.
1014. κακανδρία. R. 814.
1065. παράλιος. R. 700.
1088. αἴθων. R. 122.
1204. ἰαύειν. R. 740.
1275. τὸ μηδὲν ὄντας. Rh. 809. τὸ μηδὲν εἶναι.
ibidem ἐν τροπῇ δορὸς. R. 82.
1407. ὑπασπίδιος. R. 740.

Electra.

102. οἰκτρῶς θανόντος. R. 892.
148. ὀλοφύρεται. R. 896.
312. ἦ κάρτα. R. 476.
837. χρυσόδετος. R. 383.
1074. σαλεύει. R. 249.

Oedip. Rex.

23. σαλεύει. R. 249.
387. ἀγύρτης. R. 503. 715.
802. πωλικός. R. 784. 797.
1252. εἰσέπαισεν. R. 560.
1302. δυσδαίμων. R. 899.
1310. φοράδην. R. 888.

Oed. Coloneus.

85. κάμπτω c. acc. loci. R. 235.
149. φυτάλμιος. alio sensu R. 920.

496. ἀρκεῖν γὰρ οἶμαι ... μίαν ψυχὴν τάδ' ἐκτίνουσαν. de constr. cf. Rh. 329.
1321. ἐπώνυμος. R. 158.
1485. ἄνα. R. 828 ubi Godfr. legi vult: ὦναξ.
1603. ἐξήσκησαν. R. 922.
1609. ἀραγμός. R. 569.
1772. θρῆνον ἐγείρειν. cf. Rh. 690 βοὴν ἐγ.

Antigone.

216. βαστάζω. R. 274.
413. ἐγερτί. R. 524.
418. σκηπτός. R. 674.
420. πεδιάς. R. 283.
547. ἀρκέσω θνήσκουσ' ἐγώ. eadem cstr. R. 329.
759. δεννάσεις. R. 925. 951.
1214. σαίνει με — cf. Rh. 55: σαίνει μ' ἔννυχος φρυκτωρία.

Trachiniae.

14. κρουνοί. R. 790.
746. βαρεῖα συμφορά. R. 732.
772. δυσδαίμων. R. 899.
1065. πρεσβεύσης. R. 941.
1247. vid. 611.

Philoctet.

30. καταυλισθείς. R. 518.
106. προσμῖξαι c. dat. R. 146.
224. προσφιλής. R. 345.
1422. εὐκλεᾶ θέσθαι. Rh. 159.

Fragmenta Soph.

frg. 4. (Athamas.) ἄπαις. R. 908.
36. (Aichmalotides.) νησιώτης. R. 701.

frg. 84. (Aleadae). καταρκεῖ. Rh. 447.
92. (Alexandros). ἀγρώστης. R. 266. 287.
122. (Andromeda). βρότειος. R. 928.
178. (Dolopes). χαμεύνη. R. 9. 852.
180. (Helenae ἀπαίτησις). θράσσει. R. 863.
195. (Eriphyle). πρεπόντως. R. 202.
224. (Thamyras). χρυσόδετος. R. 383.
352. (Lemniae). ἀγχιτέρμων. R. 426.
396. (Nauplios). φρυκτωρία. R. 55.
459. (Ποιμένες). ἑωθινός. R. 771.
521. (Tereus). εὐφρόνη. R. saepius.
774. (frg. incert. fabb.) κωδωνοκρότος. Rh. 384.
809. (frg. inc. fab.). Διὸς κύβοι. Rh. 183. δαίμονος κύβοι. cf. Rh. 446.
848. (inc.) φηλήτης sive φιλήτης. R. 217.
856. (frg. inc.). παλαίουσ'. R. 509.
877. (fortasse ex Thracibus). ὀρθῶς δ' Ὀδυσσεὺς εἴμ' ἐπώνυμος κακοῖς. cf. Rh. 158.
984. (inc. fab.) σάγη. R. 207.

Jam vero ex Euripide adnotantes quae omnino rariora vel etiam huic tragico propria sunt, videbimus, nostrum pariter ex omnibus fabulis hausisse, quae opusculo suo intexeret.

Alcestis [1]).

35. τοξήρης. R. 228.
336. οἴσω πένθος. R. 975.
380. μονούμενος.

[1]) Versuum numeri sunt editionis Nauckianae. II. Lips. 1857.

383. ἀρκοῦμεν ἡμεῖς οἱ προθνήσκοντες . . . de struct. cf. Rh. 329.
498. ζαχρύσος πέλτη. R. 371.
658. οὐ μήν ἐρεῖς γε ὡς ἀτιμάζων. de struct. cf. Rhes. 399: οὐ γὰρ τι λέξεις ὥς ἄκλητος ὤν φίλοις. et 843: μὴ γὰρ τι λέξῃς ὥς κτλ.
851. αἱματηρός πέλανος. R. 430.
856. βαρεῖα συμφορά. R. 732.
864. πῶς ἄν ὀλοίμαν. R. 751.
882 sq. de sententia, sine liberis vivere melius esse cf. R. 980 sq.
1071. καρτερεῖν. R. 148.
1100. καρδίαν δηχθήσομαι. R. 596.

Andromacha.

4. παιδοποιός. R. 980.
66. μηχανὰς πλέκουσιν. R. 833. πλ. λόγους.
108. 1012. διφρεύων. R. 356.
189. πνέοντες μεγάλα. R. 324: μέγα πνέων secundum florentin. 1. (alii μέγας πνέων.)
295. Ἰδαῖον λέπας. R. 287.
314. ἐρημώσεις πέδον. R. 278.
1046. σκηπτός. Rh. 673.
1064 et 1117. κατ' ὄμμα. R. 421.
1074. φασγάνων πληγαί. R. 796.
1166. φοράδην. R. 888.
1279. γαμεῖν ἐκ. R. 169.

Bacchae.

214. νεώτερον. R. 590.
224. θυοσκόοι. R. 68.
445. πρὸς ὀργάδας. R. 282.
631. φαεννός.

640. μέγα πνέων. R. 324 secundum quorumdam lectionem.

717. τρίβων. R. 625.

830. στολὴν δὲ τίνα φῂς ἀμφὶ χρῶτ' ἐμὸν βαλεῖν. cf. Rh. 204.

848. εἰς βόλον καθίσταται. R. 730: εἰς βόλον τίς ἔρχεται.

871. κυναγέτας. R. 325.

984. ἀπύω.

1072. ἀναχαιτίζω. R. 786.

1214. πασσαλεύω. R. 180.

Hecabe.

112. λαίφη. R. 323.

184. δειμαίνω. R. 80.

216. σπουδῇ ποδός. R. 85.

278. τῶν τεθνηκότων ἅλις. Rh. 870 sec. Nauckium.

318. ἀρκούντως. R. 499.

567. διαρροαί. R. 919. ubi vero L. Dind. Nauck. alii: διὰ ῥοάς.

568. κρουνός. R. 790.

828. εὐφρόνη. R. 518. 617.

913. ἐμβατεύω. R. 225.

1058. τετράποδος βάσιν θηρὸς . . . . . τιθέμενος cf. Rh. 312: τετράπουν μιμήσομαι λύκου κέλευθον.

1080. κάμψω. R. 235.

1092. αὔτῶ. R. 668.

1112. φόβον παρέσχε. R. 287.

1121. μειζόνως. R. 849.

1143. λεηλατοῦντες. R. 291.

1174. κυνηγέτης. R. 325.

1185. ἐπίφθονος. R. 334.

1190. λόγοι σαθροί. R. 639.

Helena.

69. προσεικάσαι. R. 696.
216. κύκνου πτερόν. R. 618.
421. εἰκάσαι πάρεστι. R. 803.
526. χριμπτόμενος. R. 644.
620. ἄδην. R. 481.
712. ἀναστρέφει. Rh. 332.
739. καραδοκεῖν. R. 144.
1085. πλημμελές. R. 858.
1383. ἐξήσκησε. R. 922.
1660 sq. de sententia cf. R. 634.

Electra.

820. πορπάματα. R. 442.
1163. ὀργάδες. R. 282.
1214. λάσκω. R. 725.

Heraclidae.

84. νησιώτην τρίβω βίον. cf. R. 701.
148. κίνδυνον ῥίπτω. R. 154.
353. μέγ' αὐχεῖς. R. 452.
441. ποῖον δὲ γαίας ἕρκος οὐκ ἀφίγμεθα eadem structura Rh. 403: ποίων δὲ δώρων κόσμον οὐκ ἐπέμψαμεν.
489. χρησμῶν .... ᾠδούς φησι σημαίνειν ὅδε .... eadem verbi structura Rh. 880.
635. ὄρθωσον κάρα. R. 7.
725. πυκάζου c. dat. R. 90.
731. εἴθ' ἦσθα δυνα... ὅσον πρόθυμος εἶ. cf. R. 105.
801. κατὰ στόμα. R. 409.
876. ἐμβατεύειν. R. 225.

Herc. fur.

164. δορὸς ταχεῖαν ἄλοκα... cf. R. 796.
188. τοξήρης. R. 228. ibid. σάγη. R. 207.
238. πεπύργωσαι. R. 122.
363. χάσμα θηρός. R. 209.
377. ἀγρώστης. R. 266. 287.
420. πολύφονος. R. 62. 465.
465. sq. στολὴν δὲ θηρὸς ἀμφέβαλλε σῷ κάρᾳ λέοντος. cf. Rh. 208 sq.
467. φιλαρμάτων. R. 932. φιλαρμάτους cum Badhamo et Nauckio. libri φιλαιμάτους.
912. μάντιν οὐχ' ἕτερον ἄξομαι. quem versum hoc loco absonum esse demonstrare voluit Gruppius[1]) ubi de Rhesi loquitur vs. 949: σοφιστὴν δ' ἄλλον οὐκ ἐπάξομαι.
959. πορπάματα. R. 442.
1049. ἰαύω. R. 740.
1388. μονούμενος. R. 871.

Hiketides

173. πρεσβεύματα. R. 936.
180. ὑμνοποιός. R. 651.
330. βλήματ' ἐν κύβοις βαλεῖν. cf. Rh. 446.
331. ὁ γὰρ θεός πάντ' ἀναστρέφει πάλιν. cf. R. 332.
469 θεοῦ σέλας. R. 331.
489. προσφιλής. R. 345.
638. λόγου δὲ σὲ μακροῦ ἀποπαύσω. cf. R. 281.
654. τευχεσφόρος. R. 267.
796. πῶς ἄν ὀλοίμην. R. 751.
1064. σαθρός. R. 639.
1071. συμπυρόω. R. 960.

[1]) l. l. p. 327.

Hippolyt.

86. κλύων μὲν αὐδήν, ὄμμα δ' οὐχ' ὁρῶν τὸ σόν: cf. R. 608 sq.
167. ἄϋτω. R. 668.
205. ῥᾷον οἴσω. R. 975.
290. στυγνὴν ὀφρὺν λύσασα. cf. Rh. 8.
519. πάντ' ἂν φοβηθεὶς ἴσθι.... cf. fere eundem versum Rh. 80: πάντ' ἂν φοβηθεὶς ἴσθι δειμαίνων τόδε.
525. Ἔρως ὅ pro ὅς. hoc unicum apud tragicos exemplum homericae formae esse dixit G. Dindorf ad hunc vs. sed Rhes. 693. nonnulli codices, quos Kirchhoff. et Nauck. secuti sunt: τίς ὅ μέγα θράσος.... ἐπεύξεται.
777. βοηδρομεῖν. R. 336.
1037. πίστις οὐ σμικρά. R. 415.
1211. πόντιον φύσημα.
1232. ἀναχαιτίζω. R. 786.

Iphig. Aulidens.

7. ἑπτάπορος πλειάς. R. 530.
36. πρὸ χερῶν βαστάζω. R. 274.
220 sq. πώλους... βαλιούς. cf. Rh. 356.
917 sq. eadem fere sententia R. 980 sq.
966. νόστος πρὸς Ἴλιον. R. 427.
1114. φυσήματα. R. 440.
1127. τί δ' ἔστιν. R. 91.
1172. μακρᾶς ἀπουσίας. R. 467.
1261. νόστος Ἰλίου πύργους ἔπι. cf. ad vs. 966.
1307. βασιλίς. R. 718.
1557. τοὐπ' ἔμ'. R. 397.

Miretur forsan aliquis, me tam parvum exemplorum numerum ex ista fabula attulisse, verum attentius consi-

deranti apparebit, magnam dramatis partem ab Euripide alienam iudicandam esse cum Porsono Dindorfiis Nauckio aliisque. —

Iphigenia taur.

240 et 1160. τί δ᾽ ἔστι. R. 91.

300. αἱματηρὸν πέλανον ex Aldina G. Dindorf. (sed codices et multi editorum, etiam novissimus Köchly: πέλαγος.) R. 430.

361. οὐκ ἀμνημονῶ. R. 647.

399. εὔυδρος. R. 927.

508. ἐπεύχομαι. R. 692.

752. ἴχνος ποδὸς τιθέναι. R. 721. ποδ. ἰχν. βαλεῖν.

1188. τί δῆτα δρῶμεν. R. 580.

1447. κλύεις γὰρ αὐδὴν καίπερ οὐ παρὼν θεᾶς. cf. R. 608.

Jon.

685. θέσφατα με σαίνει. cf. R. 55: σαίνει μ᾽ ἔννυχος φρυκτωρία.

975. ἄδην. R. 480.

1006. ἐν τῷ καθάψασ᾽ ἀμφὶ παιδὶ σώματος. cf. R. 202.

1071. φαεννός. R. 59.

1410. πλέκω. R. 834.

1517. ἐν φαενναῖς ἡλίου περιπτυχαῖς. R. 59. φαεννοὶ ἡλίου λαμπτῆρες.

Cyclops.

266. ὦ κάλλιστον ὦ Κυκλώπιον, duplex ὦ Rh. 357: ὦ πατρὶς ὦ Φρυγία.

294. ὑπάργυρος. R. 970.

406. χρίμπτομαι. R. 644.

417. ἄμυστιν ἑλκύσας. cf. R. 419: ἄμυστιν δεξιούμενοι.

438. ἀμύστιδας.

Medea.

97. πῶς ἄν ὀλοίμαν. R. 733.
196. πολύχορδος. R. 548.
306. πλημμελές. R. 858.
364. κακῶς πέπρακται. R. 756.
542. εἴη χρυσὸς ἐν δόμοις, Rh. 178. ἔστι χρυσὸς ἐνδ.
612. ἀφϑόνῳ χερί. R. 772.
623. νεόδμητος. R. 885 (ubi alii νεόκμητος).
686. σοφὸς ... καὶ τρίβων κτλ. cf. R. 625.
713. δέξαι ... δόμοις ἐφέστιον. R. 201. ἐλϑὼν εἰς δόμους ἐφέστιος.
759. ἀλλά σ᾽ ὁ Μαίας πομπαῖος κτλ. cf. R. 216: ἀλλ᾽ εὖ σ᾽ ὁ Μαίας κτλ.
849. παιδολέτειρα. R. 549. masc. παιδολέτωρ.
942. σὺ δ᾽ ἀλλά, initio vs. R. 167.
1091. πάμπαν. R. 855.
1393. παιδολέτορ. vide ad 849.

Orest.

261. γόργωψ. vid. R. 8. γοργωπός.
571. ὡς σὺ κόμπεις. R. 438 et 876, quem locum, (secundum Christi patientis vs. ὄλοιτ᾽ ὁ δράσας, ἡ Δίκη δ᾽ ἐπίσταται) proscripserunt Vater et Hartung. (in adnott. ad hunc vs.)
1005. ἑπταπόρου ... Πελειάδος δρόμημα. cf. R. 530.
1253. ἀπύω. R. 776.
1346 et 1622. βοηδρομεῖν. R. 617.
1499. δραπέτης, adiect. sed subst. R. 69.
1543. πυρόω. R. 61.
1563. ῥύομαι. R. 978.
1568. πεπύργωσαι ϑράσει. R. 122.
1635. ἄφϑιτος. R. 185.
1642. ἄφϑονος. R. 772.

Troades.

353. πυκάζε κρᾶτ'. medium R. 90.
604 et 1304. ἰάλεμος. R. 885.
980. παρθενεία. R. 927.
1081. ὦ φίλος ὦ πόσι μοι. cf. ad cycl. 266.
1267. σάλπιγγος ἠχώ. cf. Rh. 144. σάλπιγγος αὐδήν.

Phoenissae.

1. τέμνω ὁδόν. R. 423.
2. χρυσοκόλλητος. R. 305.
16. παίδων κοινωνία. R. 904. γένους κοινωνία.
24. λέπας. R. 287.
45. ἐπεζάρει. R. 441.
92. προυξερευνήσω στίβον. cf. R. 296.
240. θούριος Ἄρης. R. 186.
303 et 1285. τρομερός. R. 36.
338. παιδοποιός. R. 980.
355 sq. de sent. cf. R. 980—82.
435. εἰς σὲ τείνει. vid. ad Ov. 571.
469. ἁπλοῦς ὁ μῦθος. R. 84. ἁπλοῦς ἐπ' ἐχθροῖς μῦθ.
671 et 779. πάνοπλος. R. 22.
709. νεώτερον. R. 590.
717. ὄγκος. R. 760.
1027. πεδαίρω. R. 372.
1033. 1034. ἰάλεμος. R. 895.
1095. ἔφεδρος. R. 119.
1143. ἀραγμός. R. 569.
1147. γυμνῆτες. R. 31. 313.
1213. ὑπασπιστής. R. 2.
1226. ἀριστῆς. R. 479.
1285. vid. ad 303.
1353. αἰνιγμός. R. 754.
1433. ὑστέρα πάρειμι. cf. R. 453. ὕστερος μολών.

1438. φύσημα alio sensu R. 440.
1474. συλῶντες. R. 517.
1538. ἰαύω. R. 740.
1660. λάζυσθε τήνδε κ' εἰς δόμους κομίζετε. cf. R. 877.

Fragmenta.

196. (Antiop.). τὸ πάμπαν. R. 855.
255. (Archelaus). ἁπλοῦς ὁ μῦθος. R. 84. Phö. 469.
406. (Ino.). κίνδυνον μέγαν ῥίπτοντες. R. 154.
415. (Ino.). Ἰδαῖον λέπας. R. 287.
450. (Hipp.) δίοπος. R. 741.
475. (Kretes). αὐθιγενής. R. 895.
677. (Sciron satyricus) χαμεύνη. R. 9.
709. (Telephus). Ὀδυσσεὺς . . . αἱμύλος. R. 489.
757. (Hypsipyle). ἔφυ μέν οὐδεὶς ὅστις ου πονεῖ βροτῶν, θάπτει τε τέκνα. cf. R. 980.
775. (Phaeth.) vs. 22 sq. cf. Rh. 547 sq.
779. (Phaeth.). ἑπτὰ Πλειάδες. R. 530.

Nunc demum prolatis omnibus quae de oeconomia, de dictione de metris dicenda erant, videamus, quaenam censuerint viri docti initio cititi. —

Et Jos. quidem Scaliger[1]) (l. supra l.) haec habet: „auctor Rhesi tragoediae vetustissimus, qui sine dubio non est Euripides. Deinde pergit: auctor sive is Sophocles, sive alius. — Quam viri doctissimi sententiam probavit Dan. Heinsius in animadv. ad Senecae tragoedias.

Novam protulit coniecturam Sam. Petitus[2]) qui cum oeconomia fabulae et stili χαρακτήρ a Sophocleo et

---

[1]) prolegom. ad Maxilium p. VI sq.
[2]) miscellan. III, XXII.

Aeschyleo et Euripideo valde diversa sint, dubitanter Aristarchum, Euripidis aequalem, haud ignobilem poetam auctorem fuisse putat. Quam quidem coniecturam nullo probabili fundamento nixam amplexus est Schöll hist. litt. gr. [1])

Anton. Delrio [2]) eam fabulam minori Euripidi tribuit, cognomini fratris filio. Et hanc quidem opinionem secutus est Boeckhius in libro de tragicis graecis [3]); retraxit vero sententiam in secunda de Soph. Antig. commentatione in Actis Acad. Boruss. 1828 [4]), Jac. Hardionius (in libello initio laudato) cum ex fabulae oeconomia neque Eurip. [5]) neque Aeschylum neque Sophoclem Rhesi auctorem esse demonstrasse sibi visus esset inferiori tribuit poetae post expulsos triginta tyrannos, verum ante Jsocratem, tum cum oratores ad bellum contra Persas adhortabantur atque, ut dicit, Troianorum Persarumque mythi maximum plausum ferebant. — Iniuria autem primarias personas adcurate ad Homeri exemplum conformatas esse statuit, praeter Rhesum, quem Hectori simillimum finxerit poeta: eadem scilicet virtute, eadem sinceritate, sed paullo maiore adrogantia. — Imprimis et iure quidem vituperat, quod fere omnes reprehendunt, nihil inesse quod moveat terrorem vel misericordiam. — Ceterum notandum eum vs. 946 ad Socratem iniuste damnatum referri velle. — Valkenarium deinde [6]) nimio studio quae sint reprehendenda saepius exag-

---

[1]) ed. germanica I, 264.
[2]) proleg. in Senecae trag. p. XXI.
[3]) p. 228.
[4]) p. 110, 1, repetita in Antigonae editione Berl. 1843, p. 297.
[5]) p. 334 sq.
[6]) diatribae cap. IX et X.

gerare atque, ut tandem Euripidis nomen ab hac fabula removeat, nonnulla iusto acrius improbare videmus. — Ceterum is praecipue inferioribus ansam dedit huius quaestionis denuo retractandae. — In incerto quidem reliquit quis sit auctor, in universum autem non Sophoclis tantum, sed etiam Euripidis ingenio indignum esse hoc drama iudicavit.

Eadem fere et Beckii sententia erat l. l.

Carol. Morstadti libellum supra laudatum mihi inspicere non licuisse aegre fero. Verum ex Vatero Gruppio aliisque intellego, eum ex aestheticis, quas dicunt, rationibus fabulam aestimasse, atque inprimis ostendisse, quam multa langueant in oeconomia, quam sit infirma personarum descriptio. — Auctor ei videtur Alexandriae sub primis Ptolemaeorum vixisse, id quod Godofr. Hermannus in dissertatione de Rh. argumentis maxime ex dictionis et stili rationibus petitis illustrare conatus est. — Et hunc quidem nonnulla temerius quam probabilius egisse iam saepe demonstravimus. — Prae ceteris autem reprehendendum, eum ut maior ἅπαξ λεγομένων numerus evaderet, saepius coniectura locos plane sanos mutasse, de ἤλυϑον vero forma in trimetro agentem, Neophronis ex Medea locum non vidisse. Verum post Vateri[1]) longissimam in tertia vindiciarum parte „de Hermanni rationibus" dissertationem fere nihil novi addi potest. — De tempore autem quae statuerit, equidem qui Hermanno adstipulatus sit neminem novi praeter Lindemannum, quem nihil novi attulisse iam ex eo conligas quae pag. 16 libelli supra citati[2]) fundit: „qui illas rationes quas Hermannus de seriori aetate Rhesi deque aperta veterum

[1]) Vater vindicc. p. CXV.

[2]) programma zwikaviense 1834.

tragicorum imitatione attulit, vinci posse aut refutari arbitratur, eum non veritatis indagandae sed ludi faciundi caussa scribere persuasissimum habeo."

Et de Alexandrinorum quidem poesi tragica haud ita multa sunt, quae nobis traduntur. Id modo constat, tragicorum tres principes, inprimis autem Euripidem in summo ibi honore fuisse. — Docti vero magis et elegantes tragoediarum existimatores quam ipsi sollertia ingeniosi fuerunt. Omnia tum deerant, quae artem tragicam tam vulgarem tamque omnibus gratam et acceptam esse paterentur, ut erat Athenis, florentibus tragicorum principibus. — Etiam de Pleiade 7 tragicorum modo pauca sunt quae comperta habemus. — Accedit quod ex perpaucis et partim quidem incertis quae servantur tragoediarum fragmentis ad nostrum Rhesum nihil fructus redundat; sunt sane levia et instar imitatorum Euripidis; de metris vero adcurate elaboratis, de structuris enuntiatisque exquisita diligentia pariter ex tribus tragicis totque aliis scriptoribus delibatis nihil patet: Addas etiam quod tum temporis actam vel in lucem proditam fabulam criticorum grammaticorumque oculos ita fefellisse prorsus cogitari nequeat. In universum certe hisce grammaticis pleiadis dictio totumque compositionis genus notum esse debebat, et si cum illis quaedam intercederet similitudo, haud dubito, quin animadvertissent. — Multo autem veri similius, talem Alexandrinorum poetam cum Pleiadis poetis certasse, praesertim cum, quae ab illa tragoediae ratione tum principibus praecipue dilecta abhorrerent non poterant exspectare plausum vel aemulationem. Praeterea quae ad Athenas, Orpheum, Musaeum aliaque in epilogo spectantia effunduntur, talia Alexandrinum prodere poetam quis est qui sibi persuadeat?

Fr. a Raumer[1]) in lepida et faceta dramatis expositione auctorem fuisse statuit tironem, qui sine ulla tragicae artis cognitione stili exercendi caussa Homeri Doloniam in drama conformare studuerit. Nec aliter iudicavit Lud. Tieckius, apud eumdem Raumerum[2]) memoratus. — Aug. Guilelmo Schlegelio[3]) poeta imitator, sed potius Sophoclis quam Euripidis, et paullo quidem postea fabulam composuisse videtur. — Elmsleius[4]) incertum Rhesi memorat, Reisigius[5]) tragici Rhesum, Monkius[6]) „auctorem Rhesi," neque Porsonus nomen poetae addidit neque Blomfieldus. — Od. Muellerus in hist. litt. gr.[7]) hanc fabulam, cum Euripideum χαρακτῆρα non habeat atque Aeschylum magis et Sophoclem quam Euripidem imitatus sit auctor, dubitanter uni ex Philoclis discipulis tribuit. — Aug. Matthiae in adnott. ad Rhes.[8]) ad tempus florentis et linguae et scaenae Atticorum hunc poetam referendum putat. Quem virum doctum ita egisse non miramur, si perspicimus eum in universum iusto melius de hac tragoedia iudicasse. Etenim „pleraque suo loco posita esse" perhibet, ut ea poetam non ex abditis fontibus hausisse, sed e communi poetarum sui temporis consuetudine sumsisse dicas," rara sunt ea, quae in hoc uno carmine leguntur, imitationis vero nulla usquam vestigia sunt," . . . . . imprimis in melicis ita non numquam sui et iuris et ingenii est, ut apud non nullos in nimiae auda-

[1]) l. initio l.
[2]) p. 545.
[3]) l. supra laudati I. p. 263.
[4]) ad Heraclidas Medeam Bacchas.
[5]) ad Soph. Oed. C. p. XXXIX.
[6]) ad Eur. Hippol. v. 521.
[7]) II, p. 179.
[8]) p. 2—4.

ciae et tumoris crimen incurrerit." — Sane qui ita disputat vitiaque fabulae in hunc modum elevare studet, eum nunquam perducemus ut intellegat, tam multa infirma frigida futilia esse. — Quae vero habuit de duobus prologis, ea rectissime refutavit Godofr. Hermann. l. l.

Apud Gruppium [1]) multa speciosa, attamen ab omni probabilitatis specie destituta esse omnibus „Ariadnae" lectoribus constat. Et de hac nostra fabula eum inaudita protulisse, iure Welckerus [2]) et Vaterus [3]) demonstrarunt. Accedit etiam quod quae coniecit mala nituntur verborum interpretatione. (e. c. quae de versu 945—946 et 949 hariolatus est.) Verum nonnulla eum lepide de fabulae oeconomia disputasse negari non potest.

Nimium Euripidis laudatorem etiam hac in re modum excessisse iure exspectant qui „Euripidem restitutum" cognoverint. Id quod praestitit, opinor, Euripidem (quem cum marmore pario a. 485 natum esse perhibet) hieme anni 465 hanc Rhesum egisse proclamans: p. 8. „finge eo tempore scriptum doctumque Rhesum esse, quo loca illa (de Amphipoli praecipue sermo est) metallis emporiisque divitia Athenienses colonis occupare conabantur, et habebis caussam laudandae τῆς ὑπαργύρου χθονός, videbis totius tragoediae scribendae docendaeq. opportunitatem. — Deducta erat colonia Ol. 78, 3 sive 466." Operae pretium est nonnulla laudationum exempla afferre: p. 38 „summa prudentia sic fabulam temperavit, ut movendo, delectando docendoque theatro aptissima exsisteret."

36 „vere Euripideus hic dramatis exitus est, vere Euripidea subtilitas etc." p. 40 de admirabili dramatis

[1]) Ariadnae cap. VII—X.

[2]) l. l. p. 1120 sq.

[3]) vindicc. p. CXXV sq.

structura verba facit. Verum nihil quod adolescentulum redoleat huic dramati inesse iam supra demonstravimus.

Prorsus novam opinionem professus est Guil. Dindorf.[1]) Etenim commemoratis aliorum sententiis Rhesum generi illi fabularum tribuit „quae medium tenerent inter tragoediae gravitatem et dramatis satyrici levitatem trilogiisque tragicis pro dramate satyrico adicerentur.“ „Satyrica autem si fuit, tum quae alioquin reprehendenda fuerint, nunc excusanda potius et laudanda.“ — Verum huius generis modo unum superest exemplar, Alcestis fabula, quam a Rheso in materia compositione dictione omnique arte valde abhorrere non est cur moneamus. — Etenim Rhesum felicem exitum habere, nemo sibi persuadebit: Orestem contra et Soph. Electram, quia non εἰς λύπην τελευτῶσιν (argum.), eodem pertinere voluerunt, et secundum Dindorfium etiam Heraclidarum fabula in hoc dramatis genere habenda esset, quam opinionem, quod equidem sciam, nemo adhuc amplexus est. (Nec maiore cum probabilitate Schneidewinus[2]) Euripidis Electram quarto loco actam esse suspicatus est.) — Et Welckeri quidem elegantem lepidamque in tertia[3]) tragoediarum graecarum parte dissertationem commemorandi iam pridem occasio fuit. Ut in toto libro, sic etiam in hac quaestione multa, quae esse possunt, verum argumentis manifestis illustrari nequeunt, protulit; multa conicit de perdita Euripidis Rheso, de Atti nyctegresia, acriter nec infeliciter Hermannum impugnat, speciose nonnulla Gruppi refutat, et de dramatis compositione personarum-

---

[1]) in adnott. editionis Oxon. p. 560 sq.

[2]) in fine praefationis ad Soph. Electram edit. Weidmann.

[3]) p. 1101—1144.

que descriptione in universum subtilissimum exhibet iudicium. — Quae vero de consilio tragoediae indicavit, (ut eius verbis utar „sie bezweckte eine späte Nachfeier der Perserkriege“ [1]) de personis, in quibus multa ad Orientis mores institutaq. referri barbarosque in deterius verti perhibet ut maius exsisteret Graecorum [2]) in eos odium; in his cur ei non adstipulemur, superiore loco disseruimus. Ipse vero dictionem stilumque undique conlectum [3]) neque semper proprio iudicio arbitrioque usum esse poetam libenter concedit [4]).

Verum totum opus esse iudicat poetae inferioris notae, Athenis scriptum, in tempus vero adcuratius non inquisivit.

Tandem transeamus ad eum, qui de Rheso amplissime et diligentissime disputavit, Vaterum dico, qui textum cum scholiis, commentariis et 168 vindiciarum paginis edidit. — Latius vero fusiusque eum scribere quivis intelleget, qui modo levi obtutu hunc librum adspexerit. Diligentissimus autem fuit in memorandis examinandisque praeteritorum interpretum sententiis opinionibus; de Euripidis vero loquendi et componendi arte ubi egit dolendum, eum Rhesi vitia et quae prorsus inania sunt in universum aut non vidisse aut certe videre noluisse. — Et quidem edita ei videtur [5]) fabula Euthymene archonte Ol. 85, 4 vel Lysimacho 86, 1 quo tempore Hagno, dux

[1]) p. 1131.

[2]) p. 1133 sq. vid. not. 4.

[3]) p. 1125.

[4]) e. c. ad vs. 151 verbum *εὐεργέτης* Welckero (p. 1132.) barbarorum morem indicare videtur, cuius caussam equidem non intellego. In aliis Euripideum *χαρακτῆρα* sine ulla probabili caussa eum cernere valde miror.

[5]) p. CLX.

Atheniensium Amphipolin condidit et Rhesi ossa ad Strymonem condidit iussu oraculi, de quo videndus Polyaen. 6, 53. — Quod quidem factum respicere ei videntur Minervae verba 962 sq. — Verum ne quis offendat in Cratetis edicto, Euripidem νέον ὄντα nostram fabulam scripsisse, Vaterus eum aut laxius locutum esse dicit (cum etiam de quadragesimo anno νέος dici non sit absurdum!) aut similibus duorum archontum nominibus deceptum, Lysicratis [1]) Ol. 81, 4 et Lysimachi 86, 1 eum falsa tradidisse. — Talia vero ne minimam quidem habere veri speciem quivis ipse intellegat necesse est. — Rhesi autem dictionem tantopere abhorrere a dicendi genere in Alcestide (Ol. 85, 2) et in Medea (87, 1) exhibito, iusto iure iam G. Dindorfius [2]) monuit. Maxime vero, omnibus consideratis examinatisque quae de Rhesi arte et oeconomia disseruit, luce clarius apparebit, eum falsa fere ubique niti ratione. — Quorum nonnulla afferemus exempla. — Quodsi priores Euripidis fabulas serioribus eiusdem poetae praestare dicit [3]) hoc ad solam metricam rationem spectare posse non est cur iterum dicamus. Etenim Phoenissas Iphigeniamque tauricam nonnullis antea scriptis praestantiores esse multi mecum profitebuntur. — Sine prologo [4]) autem umquam Euripidis fabulam actam esse mihi persuadere non possum. Ne vero cum Vatero testimonio utamur nostra Iphig. Aulidensis recensione in qua multa incertiora quam ut de iis certi quicquam statui possit. — Et valde errat idem

---

[1]) l. l. CLXII.
[2]) p. 586 not.
[3]) p. XLV.
[4]) p. LXIII.

vir doctus, si Hermanno [1]) obicit, non posse demonstrari, Rhesi auctorem ab Euripide desumsisse ex tragoediis post Ol. 89 confectis. Etenim Euripidem a notro δυσθνήσκειν, ἐπεζάρει [2]) aliaque eiusmodi mutuaturum fuisse, necne, lector ipse iudicabit. — Alio vero loco [3]) Valkenarium ne minime quidem demonstrasse perhibet, oeconomiam et dictionem fabulae abhorrere ab Euripidis arte, sed omnia „etiam veterum testimonia“ fere uno ore probare, eam Euripidis ingenio plane dignam esse. Ceterum nimis benigne de Aristophanis comici iudicio et acumine iudicat, hoc drama Ἄρεως μεστόν [4]) ante omnia ei placiturum fuisse. — Ubi desunt argumenta, in universum de Euripidis virtutibus eiusque artis vitiis verba facit atque exempla affert duce comico ex omnibus fere tragoediis, rarissime vero ex nostra fabula [5]). — Videbis eum sub finem paullatim minutiora et tenuiora proferre, etenim qualiacumque apponere studet, videlicet ut lectores tanta argumentorum mole oppressos pudeat umquam de Euripide huius fabulae auctore haesitasse. — Et grave exemplorum onus postquam abiecit [6]) „haec“, exclamat „habui, quae ingenii Euripidei mihi viderentur indicia. Reliqua sentiri possunt, exponi nequeunt.“ Tum ipse concedit si Rhesus δρᾶμα ἀδέσποτον ad nostra tempora pervenisset haec argumenta non satis gravia fuisse, quare Euripidi tribuamus, „sed cum vetustissimi grammatici, codices suadeant, cum dictio et compositio non adversetur“

---

[1]) p. XC.
[2]) vid. Herm. p. 296.
[3]) p. CXXXIX.
[4]) p. CLII sq.
[5]) CLVII e. c. memorat, Aristophanem Euripidis ὀξυμώρα quae in tragoediis sparserit reprehendere, cum ipse fateatur, in nostra tragoedia exemplum non exstare.
[6]) p. CLVIII.

Euripidem auctorem vult haberi. — Deinde vero sentiens verum et probabile argumentum se non attulisse talia profundit: „merito igitur contendere mihi videor, post ea, quae disputavi, nullum dubitationi iustae relictum esse locum, et vindicatam esse fabulam Euripidi.“ (Ceterum iam antea in Jahnii annal. IV. suppl. 1836 [1]) haud exigua cum adrogantia se magnum quid praestitisse arbitratus est.) Novissimus vero qui hac de re iudicavit, Bernhardy (in hist. litt. gr. II, 2. 434—38) de fabulae ratione scaenica de compositione de stilo in universum de arte ubi loquitur, maxime cum Raumero Hermannoque consentit; ad Alexandrinorum autem tempora eam detrudendam esse iure negans potius in medio stare putat inter antiquae tragoediae aetatem et Alexandrinorum aevum opusculumque esse tironis, doctrina et diligentia proprii ingenii iudiciique egestatem obscurare studentis. — Nos vero, quid tandem de huius tragoediae auctore proferemus? — Primum quidem necesse est, breviter enarrare qui fuerit tragicae poesis post Eurip. status. (Qua de re maxime inspiciendus Welckerus [2]) et qui post eum hanc materiam tractavit W. C. Kayser in hist. crit. trag Graecorum) Videmus autem statim post Euripidem omnes fere poetas eum in primis imitatos esse, maximeque in ea, quae faciliora levioraque erant intentos fuisse. Unde metrorum volubilitas et saepius inanitas necessario consecuta est. Et de magna quidem poetarum turba a vera arte valde recedente mox populi plausum captante mox etiam placere desinente nihil nisi leves brevesque sententiae singulaque dicta servantur. Quorum in mul-

---

[1]) p. 2—18.
[2]) trag. gr. tom. III.

tos comicos acerbissime invectos esse eosque dicacitate et salibus penitus obruisse non est cur miremur. — Ita in tempus omnis tragoediae nervus; qni et apto dicendi genere et fabularum argumentis scite tractandis vigebat, debilitatus est.

Verum paullatim exhaustum iri fabularum materias non potest negari, sententiarum igitur de virtute de moribus de vitae rationibus similibusque monentium praecipua laus adfectabatur. — Qui vero ad Philippi Alexandrique aetatem propius accesserunt, eos senarium principem in tragoedia recentiore versum, diligentius tractasse cernimus. Tum adcrescente in dies legendi voluptate et adsiduitate, quod idem in omnium litterarum historia redit, exstitere poetae, qui plausum theatri non captantes modo legentium adsensum laudesque ferre intenti, inprimis doctis eruditisque hominibus placere studebant. (qua de caussa ἀναγνωστικοί appellati sunt.) Quorum notissimus Chaeremon, quem cum magna adcurataque diligentia metrorum leges observaverit, paullo infra (circa Ol. 100) vixisse apparet. — Atqui utut fuerunt hi tragici fere omnes imitatores, qui novi haud multum fortasse fere nihil attulerint, tamen ne unumquidem inveniemus, qui simili adsiduitate ab omni arte scaenica plane destitutus, undique delibaverit hauseritque quae in usum suum converteret. — Qui cum tot diversa, insueta, repugnantia stili verborum omnino artis totiusque tragoediae rationis conlegerit id maxime mihi explicare videtur, cur nostrates in tempus vel in auctorem huius fabulae inquirentes tam valde dissentiant. — Hinc enim factum est, ut modo Aeschyli austeritate, modo epicis frustulis, modo sententiis sophocleo more conformatis, modo didascaliarum fallaciis inducti alii aliter iudicaverint. Nam-

que id certo apparet fabulae scriptorem non unum dignum habuisse, ad cuius exemplum plane tragoediae oeconomiam compositionem dictionem elaboraret formaretque, cui totum se dederet, sed novus in hac re et, ut iam ostendimus, magis doctrinae eruditionisque apparatu quam artis ingeniique sollertia instructus, in scaenam prodiit, non dicam tiro, sed scriptor mediocris, diligentia vero et studio haud prorsus contemnendus. — Sin autem quaeris quo consilio hanc fabulam conscripserit? certum consilium aeque ac multi alii eum habuisse haud adfirmaverim, sed cum ei in animo esset Doloniam in tragoediae formam redigere, id satis sibi praestitisse visus est, dummodo versiculos quosdam ad grammaticae metricaeque regulas conscripsisset. [1])

His vero omnibus consideratis propter tot diversissima et repugnantia in omnibus fere fabulae partibus omnino neque florente Atticorum arte scaenica neque, ut iam vidimus, paullo post hunc auctorem scripsisse statuendum censeo, sed paullo ante Alexandrum (circa 360—340); quo tempore, cum unius exempli imitandi studium desiisset, fortasse poeta quidam obsoleti iam enervatique generis Euripidei et volubilium leviumque numerorum taedio captus ad gravitatem illam strenuitatemque veteris tragoediae animo converso id ipsum confecit quod in manibus est. — Quam quidem fabulam actam esse quamvis non obstent caussae, tamen magnum plausum tulisse spectantiumque animos vehementer in-

---

[1]) ne vero quae in epilogo leguntur ad certam historiae Atheniensium partem respicere credas. Etenim talia semper lubrica, neque ad certum finem perducuntur, e. c. velim mecum recorderis quae de Oedipi Colonei tempore Lachmannus Reisigius Boeckhius satis divergentia statuerunt.

cendisse admodum dubitare licebit. — Miretur forsan aliquis, me post tot tantasque prolatas virorum doctorum sententias opinionesque non invenisse nomen poetae cui hoc opus tribuerem, sed in universum modo tempus definivisse. Verum donec externa testimonia accedent, quae certa manifestaque suppeditent argumenta nominis auctoris indagandi, a lubricis inanibusq. coniecturis manum abstinuisse melius duco. — Si autem de dramatis oeconomia prorsusque de aesthetica quae dicitur nostrae fabulae ratione perbrevem nec satis adcuratum me fuisse iudicabunt, pervelim eos secum cogitare, quam sit difficile lingua latina de talibus disputare, cum maxime hoc disserendi genus apud nostrates vigeat habeatque terminos nunc demum philosophorum criticorumque recenti usu inventos et vulgatos.

Fridericus Hagenbach de vita sua.

Natus sum Basiliae mense februario anno h. s. XXXX patre Friderico matre Charlotta e gente Merian. Litterarum primordiis instructus gymnasium adii quod rectore Rud. Burckhardto tum temporis florebat, ibique imprimis Rothi usus sum disciplina, quem praematura morte nobis ereptum esse vehementer doleo. Tum perlustrato paedagogio ineunte anno h. s. LVIII civibus academicis adscriptus virorum clarissimorum frequentavi scholas: Burckhardti Gerlachi Mähli Rothi Preiswercki Steffenseni Vischeri Wackernageli Wölflini. — Duobus annis praeterlapsis **Bonnam** migravi ibique audivi prodocentes: Jahnium Ritschelium Reifferscheidium L. Schmidtium Schopenum Springerum Sybelium. Seminarii philologici sodalis fui extraordinarius atque Schmidti benivolentia mihi contigit, ut eius societati philologicae per ter sex menses adessem. Vere anni LXII **Gottingam** profectus scholis interfui Curti G. Mülleri Ritteri Sauppi. Quos viros optime de me meritos pia semper prosequor memoria: imprimis autem me sibi devinxerunt G e r l a c h i u s V i s c h e r u s R o t h i u s Basilienses, qui, quantopere me et studia mea foverunt dicere vix possum.